Quaestiones Plautinae et Terentianae

ad religionem spectantes.

Dissertatio philologica

quam ad summos in philosophia honores auctoritate amplissimi philosophorum ordinis in universitate Lipsiensi rite consequendos scripsit

AUGUSTUS KESEBERG
COLONIENSIS.

Lipsiae.
Typis expresserunt Gressner et Schramm.
MDCCCLXXXIV.

PARENTIBUS CARISSIMIS

S.

Cum iam per aliquot tempus Plautum Terentiumque tractassem atque adamavissem, opus mihi non inutile et lepidissimum esse videbatur exponere, quid hi poetae de dis rebusque divinis sensissent et statuissent. Quas quaestiones in his ipsis poetis eo putabam esse gravioris momenti, quod ea aetate floruerunt, qua magis magisque, ut Cicero loco quodam dicit, abundantissimus amnis Graecarum artium et litterarum et cogitationum in agreste Latium influeret.[1]) Neque tamen etiamsi Romana religio temporum cursu per Graecos permutata est, id quod primo p. Chr. n. saeculo perfectum esse videmus, opiniones volgi a maioribus traditae et vetustate sacratae repente sed paullatim modo aliae factae sunt. Quid autem ad has mutandas praeter philosophiam maiorem vim habuisse putas quam mediam quae dicitur et recentiorem comoediam atticam, cuius ex fabulis cum Plautus et Terentius suas composuissent, fieri non poterat quin etiam in rebus divinis illius comoediae poetas saepe secuti multis locis Graeca cum Romanis miscerent atque confunderent.[2]) Plautus vero cum Terentio comparatus, qua erat

---

[1]) Livius ad annum 213 a. Chr. n. (25. 1.) hoc tradit: „tanta religio et ea magna ex parte externa civitatem incessit, ut aut homines aut dii repente alii viderentur facti:“ quam sententiam non ad verbum accipiendam esse apparet.

[2]) Cf. Nissen in libelli quem inscripsit „das Templum“ pag. 106: „Italien ist nicht das Glück zu Theil geworden, dass seine Sagen in einer frühen Zeit als sie noch rein und ungemischt aus dem Volksmund flossen, der Litteratur einverleibt wurden; vielmehr hat die übermächtige Einwirkung des Hellenismus sie vielfach umgewandelt und umgedeutet, der Euhemerismus der Schriftsteller sie verfälscht und entstellt.“

origine et educatione, cum volgo usu coniunctior erat, quare non miramur, quod alium in his rebus quam hic locum obtinet; nam etiamsi Terentius servus erat Terenti Lucani senatoris, tamen ab ineunte aetate ut libertus educatus postea cum multis nobilibus familiariter vixit, fertur vixisse maxime cum Scipione Africano et Laelio, quo factum est, ut cum religiones volgi et nobilium illa aetate valde diversae inter se essent, speciem in hac re a Plauto alienissimam praebeat. Ut enim apud hunc di deaeque summam auctoritatem habent nec quicquam nisi „cum dis volentibus" fit, formulaeque illae „ita me di bene ament;" et „di te perdant" similesve milies nobis occurrunt et fiducia deorum qui rebus humanis consulant atque provideant est firmissima, sic Terentius non solum multo rarius quam ille deos commemorat, sed omnino in his rebus languidus est et paene frigidus. Quare in hoc libello maxime Plautum tractari consentaneum est, Terenti sententiarum interdum tantum unam alteramve aut ad supplendum aut quod per se notabilis sit adici.

Sed iam ad singula accedentes initium unde melius capiemus quam a sacrificiis, quae omnium religionum fundamenta sunt eaque ita necessaria, ut sine sacrificiis quaelibet religio omnino nulla esse videatur.

In omnibus sacrificiis discernuntur exta et viscera; haec eduntur, illa quae ex felle, pulmone, corde, omento, constant diis pollucentur et cremantur;[1] vide Marquardt, römische Staatsverwaltung III² p. 176. Quod discrimen Plautus, etiamsi vocabulum „viscera" haud ei ignotum est, tamen non ser-

[1]) Cf. Luebberti commentationes pontificales, Berol. 1859 p. 122: „Fuisse quaedam sacrificia in quibus salva religione exta quoque profanari soleant, Festi definitio p. 250 ostendit: „prodiguas hostias esse quae consumantur," quae quamquam iusto breviora sunt, res tamen docet, de integris victimis intellegenda esse. Plurimorum longe sacrificiorum haec ratio fuit, ut exta quibus litatum esset, diis pollucerentur, viscera h. e. carnes profano usui reddita a populo consumerentur." De eiusmodi sacrificiis apud Plautum cogitandum non est.

vavit. Nam primum quidem duobus locis ubi viscera reperiuntur, in Men. v. 858 sq.: „Faciam quod iubes: securim capiam ancipitem atque hunc senem Osse fini dedolabo assulatim ei viscera," et in Mil. gl. v. 28 sq.: „Pol si quidem Conisus esses per corium per viscera, Perque os elephanti transmineret bracchium," non ad religionem et sacrificia spectant, sed interpretatio Schoemanni ad Cic. de deor. nat. l. II. 6. 18, omnia praeter cutem, ossa, sanguinem declarare viscera, plane fere in nostros locos quadrat.[1]). Plautus igitur exta in utramque partem valere voluit: in Pseud. v. 265 sq. dicit leno: „Respiciam istoc pretio: nam si sacrificem summo Iovi Atque in manibus exta teneam ut porriciam, interea loci Si lucri quid detur potius rem divinam deseram;" cf. ibidem v. 329: „mininis me extis placari volo;" Aul. v. 564 sq.: „Quin ossa ac pellis totust, ita cura macet, Quin exta inspicere in sole vel vivo licet;" Poen. v. 2. 10: „exta votui prosicarier;" ibid. v. 18: „Condigne haruspex non homo trioboli, Omnibus in extis aibat portendi mihi malum damnumque;" ibid. 5. 4. 35: „Nimiae voluptati est, quod in extis nostris portentumst;" his omnibus locis exta eae sunt hostiae caesae partes, quae cum ad deorum voluntatem cognoscendam inspectae sint, in aris comburuntur. Neque vero raro fit, ut eas animalium partes significent, quae eduntur, ut in Stichi v. 251: „Iamne exta cocta sunt? quot agnis fecerat?" Poen. v. 2. 44: „Eamus intro dum exta referuntur;" 3. 3. 3: „Interibi attulerint exta atque eadem mulieres, Iam ab re divina credo apparebunt domi;" 3. 6. 9: „Extis sum satur factus probe." Restat unus Mil. glor. locus 708 sq.: „Ei (cognati) apud med adsunt me curant, visunt quid agam, quid velim ... Sacrificant: dant inde partem mihi maiorem quam sibi, Abducunt me ad exta, med ad prandium, ad cenam vocant," quem locum non aliter interpretor quam ut exta

[1]) Ut ipsas interiores corporis partes significet, Plautus utitur hiris vel intestinis; cf. Curc. v. 238. 242. 244; Ps. v. 343. 821; Cas. 4. 3. 6; Men. 925; vel lactibus ut in Ps. v. 319 (vide Lorenz.) et Curc. v. 319.

nihil fere aliud significent quam cenam sacram; cf. Rud. v. 342 sq.

Apud Graecos quoque σπλάγχνα duplicem intellectum habent: in Eupolidis fabula quadam (Δήμοις XXII Mein. p. 170): „τὸ χαλκίον θέρμαινε δ' ἡμῖν καὶ θύη πέττειν τινὰ κέλευ', ἵνα σπλάγχνοισι συγγενώμεθα," σπλάγχνα carnes sunt quae eduntur; sic Aristophanes quoque in Equit. v. 409 sq. dicit: „οὔτοι μ' ὑπερβαλεῖσθ' ἀναιδείᾳ μὰ τὸν Ποσειδῶ, ἢ μή ποτ' ἀγοραίου Διὸς σπλάγχνοισι παραγενοίμην; cf. Av. v. 1524. Pac. v. 1040. 1092. 1105. Plut. 1130; quin etiam verbum formavit σπλαγχνεύειν = σπλάγχνων μεταλαβεῖν in Pac. v. 1115 (Av. 984.) — In Athenionis vero Σαμόθρᾳξι v. 17. 18. (Mein. p. 1165) legitur: „ὅθεν ἔτι καὶ νῦν τῶν πρότερον μεμνημένοι τὰ σπλάχνα τοῖς θεοῖσιν ὀπτῶσιν φλογί . .: hoc loco σπλάγχνα sunt exta quae dis cremantur." cf Arist. Av. v. 519.

Sacrificium ipsum summa religione, diligentia, sollicitudine peragatur necesse est, et vitio vel minimo commisso piaculum contractum videbatur. Quanto vero maiori crimini Romanos dedisse putamus, si quis dedita opera sacrificium interrupisset. Lenonem igitur, quod hominum genus semper ut perversissimum omnesque res tam religiosas quam humanas neglegens poeta describit, — vide Curc. v. 499—511, Ps. v. 197. 276. 360 sq. 906. 975. 1095; Rud. v. 316 sq. 346. 651 sq. Persae v. 244. 406. 583; Poen. v. 1. 1. 30 sq. 4. 2. 7 sq. — si in Ps. v. 265 dicentem facit: „nam si sacrificem summo Iovi Atque in manibus exta teneam ut porriciam, interea loci Si lucri quid detur, potius rem divinam deseram," his verbis eum odio deorum et hominum dignum esse declarat. Neque vero ab hoc loco multum differt locus Poen. II. 12 sq.

Quo tempore res divina facienda sit si quaerimus, ex Plauto hoc apparet, quam primum hominem huic officio satisfacere debere.[1]) Si quis ex itinere revertit, priusquam suos salutet vel ipse prandeat, in templum pergit, ut aut deos

[1]) Omnino de hac re cf. Nissen l. i. p. 168 sq.

salut et aut pro auxilio quod in via sibi praestiterint, gratias iis agat. Tales loci sunt in Amph. v. 967, Bacch. 347, Stich. 534, 623.

Sequitur ut de rebus quae in sacrificiis usui esse soleant pauca adnotemus. Multis enim locis poeta turis mentionem facit, quod suffimentum si Marquardtio l. i. p. 165 credimus, Romae non ante rei publicae liberae finem adhibitum esse nobis statuendum est. Nititur V. D. ille loco notissimo Ovidii fast. l. I. 339—346. Quos versus quamquam nonnisi ad Ovidii ipsius tempora referri posse cum Marquardtio puto, tamen mea sententia efficere non possunt tus prioribus temporibus Romae ignotum fuisse, sed eo modo interpretor ut Romanorum commercio ea aetate usque ad Euphratem propagato turis usum maiorem fuisse dicam quam antea. Iam priore tempore eo usos esse Romanos Cato dicit r. r. 134: „Romani deo operantes praefantur ture;" cf. etiam Val. Max. 1. 1. 15 ad pugnam Cannensem et anno 456 u. c. publice tus ac vinum sacrificiis praebitum esse dicit Livius X. 23. Ex Plauto huc pertinent Amph. v. 740, Poen. v. 2. 3, Aul. 24. 385. (Mil. 411.) — Duobus locis (Men. 289 et Rud. 1208) commemorantur porci sacres, qui si quis mente captus erat sacrificabantur ut insania liberaretur. cf. Hor. sat. 2. 3. 165; Aesch. Eum. 279. De producta ‚a' in ‚sacres' cf. Ritschel. op. II. 587, de forma nom. plur. Buechel. lat. decl.[2] p. 38.

Hostiae et victimae nobis occurrunt in Ps. v. 326—329: „Pseudole, accerse hostias, Victumas, lanios, huic ut ego sacrificem summo Iovi. Nam hic mihi nunc est multo potior Iuppiter quam Iuppiter"; ::„Nolo victumas, mininis me extis placari volo." Victumae igitur videntur maiores fuisse quam hostiae; nam hac voce hostias et victumas Ballio comprehendit; agni autem inter victumas non habebantur; nam „minae" nomen fuisse ovium Varro nos docet, qua de re Lorenzius uberrime disputavit ad Ps. v. s. s. Ex ceteris locis Plautinis nihil discimus quod sit dignum memoratu: cf. Amph. v. 1127, Rud. 23. Poen. 2. 2; 4. 2. 25. 27; Epid. 174 sq. (Rud. v. 273.)

Piaculum autem in uno Truc. versu 223 commemoratum: „Piaculumst miserere nos hominum rem male gerentum", hoc loco id quod piandum est significat, cum alias etiam id esse possit quod ad piandum utile est. Huc pertinent adiectivum „piacularis" (Ep. 139) et verba piandi (Asin. 506, Men. 291) et expiandi (Most. 464), quae cum propria et solita significatione posita sint, interpretatione non opus est. Similiter res se habet in verbo monstri (Asin. 289, Most. 505, Poen. 1. 2. 61) et verbo prodigii (Bacch. 1141), in adiectivis „sacer" et „sanctus" similibusque vocabulis quare haec praeterire possumus.

Nihil autem in sacrificiis magis opus est quam integritas et sanctimonia, omnesque gentes nisi puris manibus diis supplicare vel puris vasis sacrificare non audebant. Comparare licet catholicorum ritum qui priusquam in templum ingrediantur in atrio aqua lustrali se aspergunt ut pura mente Deum precari possint. Apud Plautum ipsum hic ritus diligenter observatur ut in Amph. v. 1126: „iube vasa pura actutum adornari mihi;" ibidem (1094) manibus puris Alcumena invocat deos immortales; praeterea cf. Capt. v. 861, Aul. 579. 612; atque ipsas verbenas quibus ad sacrificandum utebantur Donatus ad Ter. Andr. v. 4. 3. 11. dicit esse omnes herbas frondesque ex aliquo loco puro decerptas; cf. castas verbenas apud Hor. carm. 4. 11. 6.

De alio quoque ritu Romanorum dicendum est: Plautus dicit in Amph. v. 1093, Alcumenam parturientem invocasse deos capite operto; qui utrum Romanus an Graecus mos sit si quaeritur cave Prellerum sequaris qui aperto errore cum de Hercule eiusque cultu disserat, (röm. Myth.[2] p. 652) quem deum Graeco ritu Romae cultum esse constat, dicit, huic deo sacrificatum esse Graeco ritu, h. e. capite operto. Qua de re iam Macrobius, cui huius cultus scientiam debemus, aliter statuit;[1]) tradit enim in saturn. l. III. 6. fin.:

[1]) Itemque Plutarchus in quaest. Rom. cap. 9: *Διὰ τί τοὺς θεοὺς προσκυνοῦντες ἐπικαλύπτονται τὴν κεφαλήν;*

„Custoditur in eodem loco ut omnes aperto capite sacra faciant; hoc fit ne quis in aede dei (Herculis) habitum eius imitetur; nam ipse ibi operto est capite. Varro ait Graecum hunc esse morem: quia sive ipse sive qui ab eo relicti aram maximam statuerunt, Graeco ritu sacrificaverunt;“ cf. ibid. I, 8. 2. Hic mos aliis quoque exemplis comprobatur ut Cic. in libro de deor. nat. II. 3. 10; cf. etiam acta fratr. arv. (Henz.) p. 79: in pronao aedis Concordiae . . velato capite . . sacrificium indixerunt. Prop. III. 28 b. 45.

Pluribus locis Epidici fabulae Plautus fidicinam in scaenam produxit, quae dum res divina fieret cantaret (315 e. c.); si hoc fecit, ne vera causa cur arcessita esset cognosceretur — haec enim fidicina erat puella Stratippoclis — morem Romanorum minime servavit nec apud Graecos κιϑαρίστριαι vel ψάλτριαι in sacrificiis cantantes mihi occurrerunt (cf. Hermann gottesd. Alterth. der Griechen[2] p. 226, 16) et ad tempus apud Etruscos tantum hoc in usu fuisse scio, ubi citharistriae in sacrificiis canentes non raro reperiuntur; cf. Mueller die Etrusker II.[2] 200 adn. 11.

Aedes autem deorum in Plauto nunquam templum nominatur, sed omnibus locis aedes sacra vel fanum vel delubrum (in uno Poen. v. 5. 4. 2); de significatione vocabuli templi in duobus locis Plautinis Rud. 909, Mil. 413 vide Nissen l. i. p. 3.

Interdum poeta de ara loquitur — Tranio servus in Most. cum in hunc locum confugerit neque quemquam sibi hic nociturum esse sciat vel dominum suum ludere non dubitat, et in Rud. v. 694 sq. duae mulieres ne lenonis in manus incidant aram Veneris conscendere pergunt — in qua siquis consederat neque ipse malum timebat nec cuiquam hunc de ara depellere vel deripere licebat: ara est locus divinus ut ait Tranio in v. 1104. Quodsi tamen Plautus in fabulis illis lenonem et dominum minantes fecit se igni et sarmentis allatis eos ab aris esse depulsuros, ea de causa hoc videtur scripsisse, ut impietatem et improbitatem lenonis et crudelitatem domini describeret. Legem quidem, ex qua

fugitivi hoc loco ab omni tuti erant impetu, non novimus; exstitisse eam et per se credibile est et inde colligere licet, quod Plautus certe timuisset ne spectatores verba sua non intellecturi essent, nisi eiusmodi lex etiam tum Romae valuisset; apud Graecos nihil usitatius fuisse notum est quam *τὸ καθίζειν ἐπὶ τὸν βωμόν*.

Transeo ad res augurales, quae etiamsi non magnam certe aliquam vim apud poetam nostrum habent. Sed tam magna est in his rebus apud Romanos confusio, ut haud raro loci inter se contrarii reperiantur, id quod Graecorum auctoritati tribuendum erit. Plautus quidem in Aul. v. 624 sq. dicit: „Non temerest quod corvus cantat mihi nunc ab laeva manu, Simul radebat pedibus terram et voce crocibat sua;“ in Asin. autem v. 259 sq.: „Impetritum inauguratumst: quovis admittunt aves, Picus et cornix ab laeva, corvus parra ab dextera Consuadent.“ Quibus cum versibus confer si placet Hor. carm. III. 27 vers. 11—16: „Oscinem corvum prece suscitabo Solis ab ortu. Sis licet felix ubicunque mavis, Et memor nostri Galatea vivas Teque nec laevus vetet ire picus Nec vaga cornix;“ hic locus expediri non potest, nisi volatus pici a dextra manu, cantus corvi a sinistra bonum augurium portendit. Cornix autem eo quod nec a dextra nec a sinistra manu volat, sed huc illuc vagatur, infausta est. In Aul. vero versibus cantus corvi ab laeva infaustus est, pici et cornicis in Asin. ab eadem parte felix. Quibus exemplis apparet temporum cursu has res plane esse mutatas ita ut quod Plauti aetate augurium erat malum, temporibus Horati bonum esset. Cicero vero quod in libro de divin. I. 7. 12. corvum a dextra canentem bonum augurium putat portendere, veterem doctrinam sequitur. Aululariae versum nescio an Plautus ex Graeco poeta sumpserit; crocire enim apud hos[1]) usitatissimum, apud Romanos alibi non legitur

[1]) Cf. Lucian de electro 5; Arist. Lys. 506: *σαυτῇ κρώξαις*: Schol. adnot.: „*ἀπὸ μεταφοοῦς τῶν ὄρνεων τῶν δυσοιωνίστων*“ cf. Plut. 369: *σὺ μὲν οἶδ' ὃ κρώξεις*; Polluc. l. 5. 89.

nisi apud Apuleium, qui saepe hos veteres poetas secutus est et Nonium grammaticum p. 455 versum Plauti afferentem. Plinius autem in nat. hist. l. X. 23 alio verbo usus est: „corvorum pessuma significatio cum glutiunt vocem velut strangulati.“ — Atque quae verba duobus locis leguntur: „Avi sinistra, auspicio liquido“ (Epid. 183. Pseud. 762) (cf. Cas. 3. 4. 26.) semper boni augurii sunt; nam sinistra dicunt Romani bona, etiamsi dextra sunt; vide Cic. de div. l. II. 39. 82.

Neque vero volatu et cantu tantum divina voluntas cognosci posse credebatur; quare Libanus in Asin., cum picum ulmum tundentem viderit, hac re malum omen declarari putat, quod ulmi ramis virgae nectuntur, quibus ne caedatur timet; cf. Asin. v. 341 et 363. Hanc observationem Libani poeta sine dubio ioci causa adnotat; sed quatenus Romana superstitio progressa fuerit videmus in Pseud. v. 106 sq.: „Atqui id futurum unde unde dicam nescio, Nisi quia futurumst: ita supercilium salit.“ Similia exempla Lorenzius collegit ad Mil. v. 386. Has opiniones quibus di voluntatem suam minimis rebus ostendere credebantur tollendas dicit Cicero in libro de div. II. 40. 84; cum enim nonnulla omina fortuito oblata nihil valere docuerit pergit: „quae si suscipiamus, pedis offensio nobis et abruptio corrigiae et sternumenta erunt observanda;“ cf. II. 27, 59 et Tibulli carm. I. 3. 20.

Bellum autem gerere nisi auspicato (vide Cic. l. i. I. 2. 3; 43. 95.) Romanos noluisse comprobat Amph. v. 690 et Pers. v. 606 ubi Toxilus servus: „In proelium vide ut ingrediare auspicato.“ — In Truc. vero v. 337 de meretricibus dicit poeta: „Quasi volturii triduo Prius praedivinant quid comesuri sient,“ quocum versu conferendus est Plinius in nat. hist. l. X. 6: „Umbricius haruspicum nostro aevo peritissimus tradit, triduo aut biduo voltures volare ubi cadavera futura sunt,“ qui Umbricius siquid ex nomine concludere licet ab Umbris originem traxit, quamquam Mueller in libri de Etruscis scripti vol. II. p. 13 adn. 49 hunc scriptorem

Tuscum fuisse putavit, quod Plinius scripsisset Umbricium haruspicem fuisse. Sed omnesne haruspices Tusci esse debebant? Umbros autem avium significationibus plurimum obtemperavisse earumque cantus et volatus notavisse et Cicero docet l. i. I. 41. 92, 42. 94 et tabulae Iguvinae luculenter comprobant.

Pauca adnotanda videntur ad Capt. v. 766 sq.: „Ex auspicavi ex vinclis, nunc intellego Redauspicandum esse in catenas denuo.“ Vocabulum enim „redauspicare“ suspicionem movit Weidneri in advers. Plaut. Darmstadt 1882 p. 12 qui, „quod hoc verbum vox esset singularis neque usquam alibi inveniretur et bono sensu careret tollendum et mutandum esse in „redandruandum“ censuit.“ Sed praeterquam quod hoc verbum redandruandi ipsum alibi in Plauto non legitur, etiamsi „redauspicare“ alias non reperimus, mea sententia hic locus est Plautinissimus,[1]) neque si recte interpretati erimus quemquam spero viro illi assensurum esse. Apparet enim ioco Plautum hoc verbum finxisse quam licentiam nisi poetae concedemus, multos locos debebimus spurios iudicare, qui non solum nihil vitii habent, sed ad sermonem ornandum non paullum afferunt.[2]) Nam ut „exauspicavi ex vinclis“ nil nisi hoc est: auspiciis acceptis mihi persuasi me vinculis liberatum iri, sic „nunc intellego redauspicandum esse in catenas denuo“ hoc modo interpretandum est: sed nunc ex auspiciis non dubito quin denuo in catenas mihi redeundum sit.

Neque vero a rebus auguralibus separanda est quaestio de scaeva et verbo obscaevandi. Sunt autem qui ad hanc

---

[1]) Repetere liceat verba Studemundi in Hermae vol. I. p. 302: „In sententiis simili modo compositis, quarum notiones inter se oppositae coniunguntur, vocabulis quam simillimis Plautus contrarium notare solet significantius et expressius.“

[2]) Cuius rei pauca exempla afferam: in Trin. v. 344 verbum ‚deiuvare“ per iocum propter „deserere,“ ibid. 406 „exunctum“ propter „expotum“, 427 „despondi“ propter „spopondi“ fictum est; cf. in v. 977 „charmidare“ et „decharmidare“ et m. a.

rem pertinent versus hi: Ps. 1137: „Bene ego ab hoc praedatus ibo: novi bona scaevast mihi"; — Stich. v. 459: „Auspicio hercle hodie ego optumo exivi foras. Cum [1]) strena mi obscaevavit, spectandumst mihi, Mustella murem ut abstulit praeter pedes"; ibidem 673: „Bona scaeva strenaque ob viam occessit mihi"; — Cas. 5. 4. 9: „hac lupi hac canes: lupina scaeva fusti rem gerit. Hercle opinor usurpabo ego illud nunc verbum vetus; hac ibo: caninam scaevam spero meliorem fore;" — Asin. v. 266: „metuo quod illis obscaevavit meae falsae fallaciae." — Vox „scaeva" quin idem sit quod Graecorum *σκαιά* nemo dubitat; ut autem Romani dicere solebant „ab dextera" „ab sinistra" neque vocabula „parte" vel „manu" adiciebant, sic apud ipsos Graecos *σκαιάν* idem significasse quam *ἀριστερὰν χεῖρα* Scaliger ex veteri glossario ad Festum s. v. scaeva testatur; apud Romanos declarat semper quantum video omen; quod autem sinistrum est, bonum augurium portendit apud Romanos, malum apud Graecos. Quo factum est, ut prout hoc verbo bonum vel malum augurium exprimere vellent, vocabulum „bonum" vel „malum" [2]) adicere eos oporteret, inter Romanam et Graecam cogitationem haesitantes. Idem factum esse in verbo „obscaevare" videmus, quae vox in Asin. versu s. s. malum, in Stichi bonum omen significat. Scaevam igitur ex exemplis supra collatis apparet vocem quae dicitur mediam fuisse; nam in Cas. v. 5. 4. 9. „lupina scaeva fusti rem gerit", scaeva per se omen et bonum et malum esse potest et vox „lupina" demum addita malum augurium efficit. Pseudoli et Stichi locis poeta felicis ominis significationem huic verbo attribuere non audebat, nisi „bona" addidisset. „Nam scriptores in mala re ponere consueverunt ut apud Graecos *σκαιόν*

---

[1]) Cur Lorenzius et Ussingius legere maluerint: „Bona strena", quod contra librorum fidem est, non est iusta causa.

[2]) Exemplum Plautinum non exstat; tamen hoc revera factum esse interpretatione Festi efficitur p. 325: Scaevam volgus quidem et in bona et in mala re vocat, cum aiunt bonam et malam scaevam.

invenitur positum", dicit Festus l. s. s. Studemund autem in Hermae vol. I. p. 288 sententiam Gepperti vituperat putantis, hunc locum paullum afferre ad augendam rerum auguralium cognitionem et comparat Hor. sat. II. 2. 64: „hac urget lupus, hac canis". Schol. Cruq. adnotat: proverbium: nam ubi res duae nobis molestae inter se pugnant, eo proverbio utimur. Recte hoc quidem; sed etiamsi utraque res in Casina molesta est tamen sperat Stalino scaevam caninam fore meliorem; λύκῳ δὲ κύνα πολέμιον fuisse tradit Plutarch. l. i. cap. 65, (cf. Arist. Vesp. v. 952) Laresque quibus canes imprimis sacros fuisse scimus cum familias semper tutarentur, nescio an huc referri possit, quod Plautus caninam scaevam dicit meliorem futuram esse. Apud Graecos autem canibus lustra condebantur qua de re cf. Schoemann griech. Alterth. [3] II. 250.

Sed coniuncta est scaeva ut vidisti in Stichi versibus 459 et 673 cum strena, quae vox ad radicem „star" (cf. sterno) videtur reducenda esse. Paulus autem hoc dicit p. 312: „Strenam appellabant quae dabatur die religioso ominis boni gratia a numero quo significatur alterum tertiumque venturum similis commodi veluti trenam praeposita S litera, ut antiquis frequens usus erat". Quid autem strenam primitus significasse putamus? est enim apud poetas veteres comicos idem fere quod omen: cf. praeter Plautum L. Pomponium Bonon. apud Ribbeckium in fr. com. lat.[2] v. 114 p. 242: asside si qua ventura est aliqua strena strenue . . .; sed quaestionem illam ut diiudicare possimus, repetere nos oportet verba Symmachi in epist. X. 23: „Ab exortu paene urbis Martiae strenarum usus adolevit, auctoritate Tatii regis, qui 'verbenas felicis arboris' ex luco Strenuae anni novi auspices accepit." Strenae igitur primitus verbena vel rami frugiferae arboris erant, quibus ut deorum voluntatem cognoscerent, Romani eodem fere modo usi esse videntur ac sortibus quas ut Mommsen dicit in hist. Rom. v. I. p. 177 adn. verisimile est lino insertas et humi stratas esse itaque varias figuras formasse, e quibus bonum aut

malum augurium cognosci posse credebatur[1]). Haec deos consulendi ratio antiquissimis temporibus et Romae[2]) viguit et apud Graecos in magna auctoritate erat (cf. Hermann l. i. p. 177 adn. 15) et cum runis maiorum nostrorum comparari potest, quarum de usu Tacitus in Germaniae cap. 10 hoc tradidit: „virgam frugiferae arbori (vide quantopere hoc cum strenarum usu congruat) decisam in surculos amputant eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temere ac fortuito spargunt.“ Num vocabula „strena“ et „runa“ cognationem quandam inter se habeant etymologi diiudicent.[3]) Romanos vero postea in vita communi hoc divinationis genus explosisse docet Cicero de div. l. infra c., quam ob rem vox „strena“ significationem nativam deposuisse nec aliud fuisse videtur quam dona quae homines Kal. Ian. boni ominis gratia inter se donant, *εὐαρχισμός*, ut vertit grammaticus quidam de idiomatibus generum disserens in Keilii grammat. vol. IV p. 578. Nullum video scriptorem praeter Plautum et Pomponium hoc verbum adhibuisse ut omen vel augurium esset. Apud Francogallos autem quos hoc vocabulum eadem tantum ratione qua solebant Romani adhibuisse Lorenzius in adn. ad Pseud. versum 1176 putat, gaudeo posse demonstrari notionem ominis in hoc verbo non periisse. Scripsit enim Froissard[4]) (1337—1410) II. II. 108:

---

[1]) Quamquam etymologia hanc interpretationem comprobat, tamen non praetermittamus, sortium usum solito paullo alium fuisse de quo cf. Cic. de div. II. 41. 85 sq.; praeterea Casinae v. 192. 247. 259 274. 280. 292.

[2]) Imprimis Praeneste: vide Cic. l. i.: „Fani pulcritudo et vetustas Praenestinarum etiam nunc retinet sortium nomen (cf. Prop. carm. II (III) 32. 3) atque id in volgus. Quis enim magistratus aut quis vir inlustrior utitur sortibus? ceteris vero in locis sortes plane refrixerunt.“

[3]) Vide Müllenhoff in: Allgemeine Monatsschrift für Litteratur und Kunst, Aprilheft. Halle 1852 p. 310—348.

[4]) Vide Dictionnaire de la langue française par E. Littré 1863 Tome premier seconde partie p. 1535.

„Le lundi premier jour de la semaine à bonne estrainne se départirent ces gens“, quo loco „à bonne estrainne“ notionem habere debet: laeto auspicio, et nunc quoque proverbium est apud illam gentem: à bon jour, bonne étrenne, id quod dicitur si quid boni nobis laeto die contigit.

Vocabulum „religio“ ipsum bis tantum in fabulis Plauti adhibitum est: primum in Merc. v. 879 sq. quibus etiam luculentissimum exemplum continetur, sinistrum boni augurii, dextrum mali fuisse qua de re iam supra nonnulla diximus: „Respice ad dextram Charine: non ex advorso vides Nubis atrae ut imber instat? spice nunc ad sinisteram: Caelum ut est splendore plenum, vide sis, atque innubilum“, quae ad verba Charinus respondet: „Religionem mihi obiecisti; recipiam me illuc“, h. e. eas res me observare iussisti quas neglegere ex religione non audeo et summa diligentia animadvertam. Tum in Curc. v. 350 oratio parasiti plena facetiarum est: „Vocat ad cenam; religio fuit, denegare nolui“; ad cenam enim si invitatur parasitus, hoc ei in religionem venit ut abnuere dubitet; ideo denegare non volt.

In eiusdem fabulae versu 70 respondet Palinurus Phaedromo dicenti: „quo me vortam nescio“, „Si deos salutas, dextrovorsum censeo.“ Hic ritus et apud Romanos (cf. Marquardt l. i. p. 174) et apud Graecos observabatur; scripsit enim Aristophanes in Pacis versu 957: „*Ἄγε δή, τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα περίιθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπιδέξια.*“ Comparandus autem est mos etiam Umbrorum, quorum „qui in ara ad dextram immolat, declinare videtur ab ara dextrovorsum“. cf. Buecheleri interpretationem tabul. Iguv. III et IV. Bonnae 1880 p. 13.

Sed iam satis disputatum videtur de rebus divinis atque nunc quidem videamus, quid Plautus et Terentius de diis senserint. Primum quales omnino di in eorum fabulis appareant explicemus, tum singulos deos deasque contemplemur quid in his Romanum quid Graecum sit definituri. Exordimur a genealogia deorum qua de re cogitare a Romanorum ingenio videtur non prorsus alienum fuisse. Nam

in vetustissimis Latii fabulis Janus Saturnus Picus Faunus Latinus nobis occurrunt, quorum quisque posterior prioris filius est. Apud Plautum vero in Cistell. versibus 2. 1. 37—45 genealogia notior et usitatior proponitur: cum enim poëta de Iovis patre matre uxore loquatur, iocculariter Alcesimarchum credentem finxit, Saturnum patruum, Opem aviam esse Iovis et Melaenis haec vitia corrigit. Quae doctrina, Saturnum Opem Iunonem esse Iovis patrem matrem uxorem, priusquam Graecorum de his rebus sententiae Romae innotuissent, non in usu erat. Romani enim cum quid Saturnus significaret sciscitantes per Graecorum Κρόνον qui cum χρόνῳ cohaerere putabatur, adducti, saturatum annis eum esse statuissent, (cf. Cic. de deor. nat. II. 25. 64) nempe ut Graeci Δία filium esse Κρόνου, ita Iovem Saturno ortum esse dicebant. Neque vero Saturnum agriculturae deum, cuius nomen non cum Ritschelio a serendo derivandum est, sed cum sanscritico „Savitâr" cohaeret, (cf. Meyer, quaest. Homeric. Bonnae 1868 p. 8) mirum est quod cum Ope uxore matrimonio coniunctum reperimus[1]) (cf. praeter Cist. v. s. s. Mil. v. 1082, Persae v. 252), cuius ipsius cognomen Consivae ad eandem radicem su (sav) pertinet.

Praeter deos superos et inferos — Aul. 368 et Cist. 2. 1. 45 — medioxumi quoque commemorantur in Cist. versu 2. 1. 36, qui quomodo interpretandi et intellegendi sint iam antiquitatis temporibus apud viros doctos magna erat dissensio, quorum variae sententiae a Prellero in myth. Rom. p. 47 compositae sunt. Preller ipse putat eosdem esse medioxumos deos qui terrestres apud Livium I. 32 dicantur.[2])

---

[1]) Cf. Merkel prol. Ovid. fast. p. CCXXXIX: „Ops cur cum Saturno coniuncta sit docet Festus 186. 25: scilicet propter officii coniunctionem postquam feriis et templo coniuncta est, interveniente fabula Graeca deposuit illud conserendi officium habitaque est pro Terra, quemadmodum Ῥέα Graecorum a tragicis etiam vetustioribus."

[2]) Hac occasione oblata de origine vocabuli „medioxumus" pauca dicam: ita dividendum est: „medioc-sumus"; si autem id quod contenditur superlativus est adiectivi mediocris, statuamus necesse est

Praeterea in Cist. v. 2. 1. 46 magni minuti et patellularii componuntur; neque vero a dis minutis qui etiam in Cas. v. 2. 5. 24 nobis occurrunt di minores differunt in Cas. v. 2. 5. 28, de quibus Preller disseruit l. i. p. 61 et 491.

Sed alia quaestio tractanda est quae non nullius videtur momenti esse. Dicit enim poeta noster in Epidici versu 610 sq.: „Si undecim deos praeter sese secum adducat Iuppiter, Tam[1]) non omnes ex cruciatu poterunt eximere Epidicum," et ibidem versu 675 sq.: „Duodecim deis plus quam in coelo deorumst immortalium, Mihi nunc auxilio adiutores sunt et mecum militant."[2]) Quamquam hi versus ipsi ad exemplar Graecum reduci possunt, tamen minime dubium esse potest, quin Romani semper duodecim deos imprimis coluerint: idem enim numerus invenitur apud Graecos (cf. Welcker gr. Götterl. II. 163 sq.) et apud Etruscos et Sabinos, (Mommsen unterit. Dial. p. 141), apud Ger-

ex hoc adiectivo superlativum eo modo formatum esse, ut ad radicem medioc-simpliciter suffixum superlativi „sum us" adiceretur, non aliter atque e mag-no mag-simus maximus evasit. Neque vero probanda est opinio Th. Bergkii, (Beitr. zur lat. Gr. p. 23) qui in „medioxumus" et „nix" x litteram locum valde sibilantis (= ss) putat obtinere; nam „nix" positum est pro „nigv-s." (Curtius Etym. [5]318). Scaliger autem ad Festum s. „medioxumus" adnotavit: antiquitus prius dicebant mediotumum ut Plautus. Dictum a medio mediotumum ut a quoto quotumum; apud Plautum: quotumae sunt aedes? (hic locus ad Ps. v. 962 spectare videtur: „Quotumas aedes dixerit, id ego admodum incerto scio.")

[1]) Codices exhibent „ita;" emendavit Luchs in Hermae vol. VI. 275; cf. Fleckeisen, ep. cr. ad Fr. R. p. XV.

[2]) Horum versuum prior ita stare non potest: sensus enim deficit: Muellero (plaut. Pros. p. 270 sq.) putanti hunc versum sensu carere assentior; sed quod dicit „duodecim deos" esse interpretationem alterius partis versus et scribere volt: „Plures di" vel „Nimio plus quam (quantumst)" invita Minerva hoc fecit. Mea quidem sententia Epidicus qui vers. 610 sq. duodecim deos se adiuturos esse desperaverat, nunc cum res non male sed prospere cedat dicere debet: non solum duodecim di sed etiam plus deorum mihi auxilio veniunt: duodecim deesse non possunt.

manos (Grimm deutsche Myth. p. XLIV al.) et apud Asiae populos (Welcker l. i. p. 177, H. L. Ahrens de duodecim deis Platonis p. 21 sq. adn. 18. 19) ita ut hunc cultum Romanis unquam defuisse vix credibile sit. In hanc autem rem nihil proficimus versibus Bacch. 892 sq.: „Ita me Iuppiter Iuno Ceres Minerva Spes Latona Opis Virtus Venus Castor Polluces Mars Mercurius Hercules Summanus Sol Saturnus dique omnes ament, Ut cum illa neque cubat neque ambulat.“ Nam Crusalus cum quod sibi ingratissumum sit audiverit, omnes deos advocat qui ei ad tempus succurrunt eosque omni fere ordine deleto inter se conectit. Neque tamen praetermittenda est quam vocant alliteratio, quae quater in hac deorum compositione adhibita est: Iuppiter Iuno — Virtus Venus — Mars Mercurius — Summanus Sol Saturnus. Tria ultima verba initum versus Saturnii esse possunt unde si alliterationem quoque respicimus de antiquitate horum deorum fortasse coniectura fieri potest; vide etiam infra ad Summanum. De alio loco Bacch. v. 115 ubi nomina deorum iocose recensentur infra dicetur p. 50 sq. Graecis autem nihil usitatius fuisse quam loqui de *δώδεκα θεοῖς* comoedia docet; vide Aristophontem apud Mein. p. 678, Arist. Equit. v. 235, Av. v. 95, ad quem posteriorem versum Kock bene ut videtur adnotavit in proverbii consuetudinem venisse illud :*οἱ δώδεκα θεοὶ πάντα σοι δοῖεν τἀγαθά,* quae sententia illo Aristophanis loco iocose detorta est in: „*οἱ δώδεκα θεοὶ εἴξασιν ἐπιτρῖψαί σε.*“ Proxime ad illius proverbii vim accedit Plautus cum scribat: „duodecim di — adiutores sunt.“

Mores autem et vitam deorum quomodo Plautus et Terentius descripserint enarrantibus nobis maxime cavendum erit, ne omnia quae in eorum fabulis de diis legimus ipsos probasse eodemque modo de his rebus sensisse putemus. Multa enim per iocum scripta sunt, alia ex personarum ingenio quae locuntur expedienda: cf. e. c. Ps. v. 795 sq. 844; Cist. v. 1. 1. 54; Cas. v. 2. 5. 15, 40; Amph. 282, 1051; Poen. 2. 14 sq.; m. a.; nonnulla quae huc pertinent poetae

receperunt de Graecis ut Trin. v. 943 sq., Ter. Andr. v. 959: „Ego deorum vitam eapropter sempiternam esse arbitror, Quod voluptates eorum propriae sunt.“ Hanc totam sententiam dicit Donatus poetam ab Eunucho Menandri transtulisse, qui locus non conservatus est; cf. praeterea similes versus Ps. 1257 sq. et Haut. v. 693. Omnino Plautus hanc de dis sententiam profert omnia in eorum manibus esse, eorum voluntati omnes homines esse obnoxios nec quicquam iis invitis posse effici. Haec cogitatio, in qua sensus cum divinae maiestatis et potestatis tum humanae infirmitatis et indigentiae praevalet, ex penitissimo Romanorum ingenio mihi videtur effluxisse; nam metu deorum Romani non solum clari erant, sed etiam imperium totius orbis terrarum sibi peperisse putabantur. Qua de re hos versus Plautinos comparemus: Mil. v. 725 sq.: „Ita me di deaeque ament aequom fuit. Deos paravisse, uno exemplo ne omnes vitam viverent;“ 730: „Itidem divos dispertisse vitam humanam aequom fuit;“ Poen. 1. 2. 70: „Deos quoque edepol amo et metuo“ (cf. Amph. prol. v. 22 sq.); Pseud. 269: „Deos quidem quos maxime aequomst metuere eos minumi facit;“ Aul. 742: „Deos credo voluisse; nam ni vellent, non fieret scio“ (cf. 737); ad quae verba Lyconidis Euclio respondet: „At ego deos credo voluisse ut apud me te in nervo enicem,“ quibus versibus uterque id quod factum est vel quod fore sperat, deorum voluntate accidere contendit; Merc. 319: „Humanum amarest atque id vi obtingit deum;“ Truc. 647 et Capt. 454 „si dis placet;“ Capt. v. 587: „Ecficiam tamen ego id si di adiuvant;“ Pers. v. 332 „sequere me cum dis volentibus;“ et Mil. v. 1351. In Mercatoris autem v. 225 sq. legimus: (cf. Ritschel. op. II, 282 sq.) „Miris modis di ludos faciunt hominibus mirisque exemplis somnia in somnis danunt,“ quibuscum versibus congruont versus Rud. 593. 594; in Capt. v. 22: „Enimvero di nos quasi pilas homines habent.“ Di autem hominibus omnia et bona et mala dispertiunt, quare saepissime de bonis loquitur quae nos „deorum virtute“ habemus; cf. Ritschel. l. i.; vide Trin. v. 346. 355;

Pers. v. 391; Aul. v. 166; (Capt. 324); Mil. v. 676. 679; Rud. 1229: „habeas quod di dant boni.“ Capt. v. 922 sq. Bacch. 1188; Curc. 531; omnes locos attulisse nihil refert. Ut autem bona ita etiam mala e deorum manibus nobis obtingunt: nam ut est in Amph. v. 635: „ita divis est placitum, voluptatem ut maeror comes consequatur.“ (Cf. Leo in mus. rhen. vol. 38 init.) Sed mala optumum est aeque ferre, cum lamentationibus ea depellere non possimus et „qui deorum consilia culpet stultus inscitusque sit.“ (Mil. 736); cf. Capt. v. 195: „Si di immortales id voluere vos hanc aerumnam exsequi, Decet id pati animo aequo: si id facietis levior labos erit,“ et in Aul. v. 88 Euclio dicit: „Patior; quod di dant fero.“ Quae sententia etiam in mediae et novae comoediae innumerabilibus locis legitur. Semper vero deus praesens est, cui omnia quae facimus et cogitamus nota sunt; sic dicit Plautus in Bacch. v. 638: „Tace modo: respiciet nos aliquis deus“ et in Capt. v. 313: „Est profecto deus qui quae nos gerimus auditque et videt.“ Totam vitam di regunt et gubernant, maxime autem initium et finis iis subiecta sunt. Cuius rei exempla habemus Mil. v. 314; „Quis magis dis inimicis natus quam tu atque iratis;“ cf. 529 sq. vel Most. 563: „Natus dis inimicis omnibus,“ et recte dicit Callicles Trin. 57 : „Deosque oro ut vitae tuae superstes suppetat (scil. uxor);“ cf. Poen. 5. 4. 14 sq. Pulcherrima vero est sententia illa nobis quoque trita et vulgaris, quam legimus in Bacch. v. 816: „Quem di diligunt adulescens moritur,“ quem ad verbum mutuatus est a Menandro qui dicit: ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος.

Iam postquam quid Plautus Terentiusque de dis omnino senserint satis explicavisse exemplisque demonstrasse nobis videmur, qua in re maxime Plautum praeter locos nonnullos Romanorum sententiam retinere et proferre vidimus, age nunc singulos deos deasque quomodo descripserint percenseamus, qua in re id quod iam nunc praesumamus multa ex Graecis sumpta cum Romanis mixta sunt. Cuius rei sine dubio causa partim ea est quod exemplaria ex quibus fabulas

suas scripserunt, de media et nova comoedia attica sumpta erant, partim quod iam tum Graecorum litterae artesque Romae notae et acceptae erant.

Initium faciamus a Iove quem Plauti aetate omnes ut summum et potentissimum caeli terraeque dominum colebant et venerabantur. Quod poeta noster dicit eum esse filium Saturni et Opis (cf. versus supra s.), Graecae auctoritati attribuendum alienumque esse a veterum Romanorum mythologia iam supra diximus. Neque aliter statuendum est de Neptuno, qui quamquam in Trin. v. 820 Iovis frater dicitur, tamen antea hoc modo cum Iove coniunctum eum fuisse nulla testimonia comprobant. De Iunone Iovis uxore postea videbimus.

Plauti aetate Iovem summum regem deorum hominumque habitum esse diximus: quod num semper factum sit in dubium vocari potest, si de deo Summano ne Plauto quidem ignoto (vide infra) disseruimus de quo Augustinus de civit. Dei 4. 23: „apud ipsos legitur: Romani veteres nescio quem Summanum cui nocturna fulmina tribuebant, coluerunt magis quam Iovem; sed postquam Iovi templum insigne ac sublime constructum est, propter aedis dignitatem sic ad eum multitudo confluxit ut vix inveniatur qui Summani nomen quod audire iam non potest se saltem legisse meminerit.“ Quibus verbis cum Augustinus dicat se apud Romanos ipsos ea legisse — Varronem vel Ciceronem fuisse sine dubitatione statuimus — fidem abrogare non poterimus. Iovi fulgura diei sacra erant, Summano noctis, cuius fulmina etiamsi utpote rariora diligentius quam diei observabantur, tamen solam ob hanc causam Romanos Summanum non magis coluisse putem quam Iovem, praesertim cum Augustinus addat, propter aedis dignitatem Iovis Summano veteres honores non tributos esse.[1]) Quo fit ut Summanum derivan-

[1]) Quam antiquos fuerit Summani dei cultus, ex Varrone quoque efficitur qui l. l. V. 74 narrat, T. Tatium regem ut annales dicerent praeter alios deos deasque Summano ipsi Romae aram consecrasse.

dum esse contendam a vocabulo „Summus“[1]) et hoc nomine Summi vel Summani[2]) antiquissimis temporibus numen divinum Romae cultum esse[3]). Suffixum „anus“ quantam vim et apud Graecos et apud Romanos habuerit ad deorum nomina formanda et amplificanda nemo nescit;[4]) neque vero quicquam saepius fieri solet quam ut nomen dei qui antea in magno honore erat, ab eo deo assumatur qui locum ab illo antea obsessum occupat. Sic e. c. apud Graecos *Παιάν* primum per se cultus postea epitheton Apollinis factus est; similiter egisse videntur Romani:[5]) exstat enim titulus apud Orellium n. 1216: V. S. L. M. Iovi Alto Summano; cf. C. I. L. V. 5560: Iupiter Altus Summanus, 3256 Iupiter Summanus et hunc deum Summanum narrat Cicero in libro de div. I. 10. 16 in fastigio Iovis optumi maxumi e caelo ictum esse, quae verba hoc ut videtur sibi volunt: Summanum a Iove de regio solio esse depulsum (vide August. l. c.). Quo facto Romani cum omnibus honoribus eum carere nollent, Iovi fulgura diei, Summano noctis tribuebant, unde etymologia nunc quoque volgata originem duxit, Summanum cohaerere cum sub et mane (cf. Mueller de Etruscis II. 60 adn. 80)

Praeterea compositio illa quam in Bacch. v. s. allato repperimus in hac re non videtur nullius momenti esse.

[1]) Quod cum scripsissem vidi iam W. Soltau idem contendisse in interpretatione Curculionis Plauti act. III = wissenschaftliche Beilage zum Prog. d. Gymn. zu Zabern 1882 p. 23; argumenta non attulit. — A „summus“ derivatur etiam „summates“ Merc. 694, Ps. 227, Stich. 492, Cist. 1. 1. 27.

[2]) Quod ad nominis fictionem attinet comparare licet Graecorum ‚*Ζάν*‘ vel ‚*Ζήν*‘, quae forma praeter ‚*Ζεύς*‘ in usu erat.

[3]) Simile est id quod de oppido quodam Phocidis Pausanias 10. 37. 3 nobis tradit: *θεῶν δὲ ὅντινα οἱ Βούλιοι σέβουσι μάλιστα, μέγιστον μὲν ὀνομάζουσι, Διὸς δὲ κατὰ ἡμετέραν δόξαν ἐστὶν ἐπίκλησις.*

[4]) Cf. I (di)-anum, Herculem Sax-anum, Iovem Arc-anum, Form-anum, Secund-anum (Mart. Cap. I. 47), Stat-anum, Volc-anum, (Dat-anum, de quo vide Grimm l. i. p. 1205).

[5]) Cf. etiam id quod de Iunone Lucina dicetur p. 26.

propter tempestates, quae submane, non multum ante diluculum cooriebantur. Plautus vero praeter Bacch. v. 895 in Curc. verss. 412—418 hunc deum commemorat: „Quis tu homo's?" ::„Libertus illius quem omnes Summanum vocant." ::„Summane salve. qui Summanu's? fac sciam." ::„Quia vestimenta mea ubi obdormivi ebrius Summano: ob eam rem me omnes Summanum vocant;" neque vero video cur Preller in myth. Rom. p. 218 verbum „summanare" interpretatus sit: furari ita ut Summanus deus furum nocturnorum sit; nam non furari est summanare sed commingere vestimenta sua. In omnibus locis Curculionis — 413. 414. 416. 418. 522. 544. 546. 582 — libri habent „Summanus;" in uno Bacch. v. 895 legitur in libris, „Submanus;" hanc formam pravae grammatici alicuius doctrinae deberi ait Ussingius; sane ex linguae legibus non e Summano evadit Submanus, sed e Submano Summanus. Romani autem cum iam mature nescirent quis hic deus revera esset,[1]) itaque hoc vocabulum falso interpretarentur, formam quoque quae iis genuina esse videbatur, posuerunt. Accedit quod in nullo titulo Submanus reperitur, quae omnes res etymologiam volgarem rectam non esse demonstrant.

Sed de „Summo," a quo Summanum derivatum esse statuimus pauca si placet addamus. Primum quidem titulus repertus est in C. I. L. III. 4443: SVM·PARCAE . . . . . cuius prius vocabulum et Summanus ut Mommsen explicat et Summus esse potest.[2]) Sed etiam alio modo vox illa expleri potest, quare hoc argumentum non multum valet. Gravius esse videtur mihi quod multa Iovis epitheta in Plauti (et Terenti) fabulis leguntur ut in Persae verss. 251 sq.: „Iovi opulento incluto, Ope gnato supremo valido viripotenti . . ."

---

[1]) Scripsit enim Ovidius in fast. l. VI. 725 sq. „Reddita quisquis is est Summano templa feruntur, tunc cum Romanis Pyrrhe timendus eras;" cf. Gloss. D: forsitan ideo Summano, ut Romani semper summi et invicti essent: Scholiasta sensisse videtur quomodo „Summanus" nomen formatum esset.

[2]) Cf. C. I. L. I. 1055 sum = summa.

atque locis plerisque eum appellari Summum vel Supremum; ‚optimus' autem et ‚maximus' epitheta desunt (praeter Poen. v. 5. 3. 44: „Magne Iuppiter" et Aul. v. 776: „Tum me faciat quod volt magnus Iuppiter;" — in toto Terentio duobus tantum locis epitheta Iovis reperiuntur: Eun. 709: „Iuppiter magne," et Adelph. v. 196: „pro supreme I.") quae etiamsi ex metri ratione nisi in creticis bene coniungi non poterant, tamen alterutrum nunquam adhibitum esse miror.[1]) Et profecto apud populum quoque ea tum nullo fere in usu fuisse inde colligere licet, quod omnes inde ab antiquissimis usque ad Christi tempora tituli ter tantum (C. I. L. I. 1109, 1236, 1402) haec epitheta exhibent, qui aut non antiqui aut incerti temporis sunt, cum postea sexcenta exempla eiusmodi exstent. Sane in titulis illius aetatis Iuppiter ‚supremus' vel ‚summus' nunquam audit. Iovis igitur, cum Summum vel Summanum loco suo movisset et ipse principem deorum locum occuparet haec vocabula „Summus" et interdum „Summanus" in inscriptionibus epitheta esse voluerunt. Sed ex hac digressione ad Iovem describendum revertamur. De Iove prodigiali, qui in Amph. v. 739 commemoratus est, vide Preller l. i. p. 186. Cum Pseudoli vers. 628 et 629: „Si quidem hercle etiam supremi promptas[2]) thensauros Iovis, Tibi libellam argenti nunquam credam" compara lepidissimam illam scaenam Arist. Pluti (v. 130): *Αὐτίκα γὰρ ἄρχει διὰ τίν' ὁ Ζεὺς τῶν θεῶν;:: διὰ τἀργυρίον, πλεῖστον γάρ ἐστ' αὐτῷ;* cf. Trin. v. 490: „di divites sunt," Men. 217: „Neque hodie ut te perdam meream divom divitias mihi." — Romanis autem notissima et apud ipsos orta erat fabula illa ad quam alludit Amph. v. 450, ubi Mercurius dicit: „Quadrigas si nunc inscendas Iovis Atque hinc fugias, ita vix poteris effugere infortunium." Quam quadrigam cum Veientes urbe capta Romanis victoribus tradere nollent, fama

---

[1]) Cf. Cic. de deor. nat. l. II. 25. 64: Iuppiter a maioribus nostris optimus maximus dictus est et quidem ante optumus quam maximus.

[2]) Cf. Langen: Beiträge zur Kritik und Erklärung des Plautus p. 54.

fert,[1]) maxima celeritate Romam cucurrisse nec equos prius stetisse quam in Capitolium advenissent. Quo factum est ut si poeta de quadriga Iovis vel de quadrigis albis loquitur summam celeritatem significare velit; cf. Aulul. 600, Asin. 279, Men. 939, Poen. 370, (Stich. 291). — Pauca adnotemus de Trin. verss. 939—943: hoc loco sycophanta a Charmide interrogatus quasnam terras adiisset, cum iam nonnullas dixerit, narrare iussus quas ex Arabia profectus visitasset pergit: „Ad caput amnis qui de caelo exoritur sub solio Iovis.“ Ch.: „Sub solio Iovis?“ S.: „Ita dico.“ Ch.: „E caelo?“ S.: „Atque e medio quidem.“ Ch.: „Eho etiam in caelum escendisti?“ S.: „Immo hariola advecti sumus, Usque aqua advorsa per amnem . . .“ De his versibus disputavit Bergkius in Fleckeis. ann. 1860 p. 393 sq., ubi de ortu Ἀθηνᾶς disserens multis fabellis quae ad hanc rem pertinent tractatis cum de Oceano Acheloo Acheronte loquatur, nusquam deorum fluvium tam perspicue oculis nostris subiectum esse dicit quam nostro loco Plautino. „Maxime“ pergit, „scire velim, utrum Plautus hoc de exemplari Graeco sumpserit an finxerit populi traditionem secutus;“ postremo autem „fieri potuisse,“ dicit „ut poeta fortasse pueritiae memoria e. c. ex ipsa Umbria petita hos versus de caeli fluvio scriberet ita ut gentibus Italicis quoque hanc fabulam non ignotam fuisse nobis statuendum esset.“ Sed priusquam alia argumenta accedant, Bergkii sententiam non accipio et hunc locum ex Graeco exemplari pendere contendo.

Duobus locis — Trin. 83 sq. et Men. 941 sq. — Plautus de furto sacrae coronae in Iovis Capitolini templo commisso loquitur: quod scelus revera perpetratum esse putat Petersen (cf. Ritschel. parergon p. 341) obloquente Brixio, qui hoc modo interpretanda esse verba negat; equidem cum bis idem commemoratum sit nec alter locus ex altero repetatur et sine dubio hi versus gravioris momenti sunt si revera

---

[1]) Cum de singulis aliter alii tradiderint scriptores, nos summam fabulae attulisse satis habemus.

hoc factum esse statuimus Peterseno magis adsentiar. — In Ps. verss. 198 sq. ubi Ballio leno: „Nisi carnaria tria gravida tegoribus oneri uberi hodie Mihi erunt, cras te quasi Dircam olim ut memorant duo nati Iovis Devinxere ad taurum, item ego te astringam ad carnarium," fabulam notissimam illam attingit Dircae, quae ab Amphione et Zetho quod Antiopam matrem cruciasset ad taurum alligata et necata est. Quod unde Plauto notum fuerit dubium est: nam Antiopam fabulam in qua quin Dirce quoque prodierit nequit dubitari non L. Andronico, sed Pacuvio attribuendam esse constat; cf. Welcker de trag. Graec. p. 812. Quare poetam hunc locum e Graeco comico transtulisse statuimus, quamquam fragmentum huc pertinens non habemus; ipse vero comicus secutus videtur esse Euripidem, cuius ex fragmentis Antiopae versus hos comparare licet: *Εἰ δέ που τύχοι πέριξ ἑλίξας, εἷλχ᾽ ὁμοῦ λαβὼν γυναῖκα πέτραν δρῦν μεταλλάσσων ἀεί*; vide Welcker p. 811—828.

De Iunone cum iam disserturi simus primum quid de hac dea ut Iovis uxore statuendum sit videamus; nam antiquitus non Iovem sed Ianum coniugem Iunonis habitum esse ex Festo p. 297 (307) apparet, qui apud tigillum sororium aras consecratas fuisse tradit Iunoni Sororiae et Iano Curiatio (cf. Dionys. Hal. III. 22), quod tigillum nihil aliud est quam imago matrimonii Iani et Iunonis[1]), quos deos eodem modo apud Epirotas Dodonae coniunctos fuisse scimus (*Ζῆνα καὶ Διώνην*). Neque vero fieri potuit quin, cum Iuppiter *Διὸς* Iuno *Ἥρας* partes agerent, hi quoque matrimonium inisse putarentur. Sed utut hoc est, Iuno nunquam a Plauto uxor Iovis appellatur — in uno Amph. v. 831 est Iovis ‚mater familias' — nec ullus titulus cum hac significatione repertus est, quamquam multi[2]) exstant versus quibus hoc Romanis am tum persuasum fuisse intellegitur.

---

[1]) Cf. Bachofen: die Sage von Tanaquil, eine Untersuchung über den Orientalismus in Rom und Italien, Heidelberg 1870 p. 325.

[2]) Vide Trin. v. 208: „Sciunt quod Iuno fabulatast cum Iove;" Merc. v. 956: „Tam propitiam reddam quam quom propitiast Iuno

Propria et antiqua fuisse videtur opinio, ut Iovem sexus masculini tutorem ita Iunonem feminarum patronam esse; recte igitur Alcumena in Amph. v. 831 sq.: „Per supremi regis regnum iuro et matrem familias Iunonem, quam me vereri et metuerest par maxume," quare feminas imprimis eam venerari et colere oportebat. Magnis semper honoribus Iuno Lucina afficiebatur quae feminis parturientibus opem et auxilium ferebat, ut est in Aul. v. 692: „Iuno Lucina, tuam fidem," et in Terenti Adelph. 487 et Andr. 473: „Iuno Lucina fer opem, serva me obsecro." Neque vero Lucina epitheton tantum Iunonis deae erat id quod Marquardt l. i. p. 11 et Preller p. 142. 242. 576 videntur putasse, sed antea ut videtur alia dea quam Iuno habita postea demum propter officii similitudinem a deorum regina non differre putabatur. Lucinam per se solam cultam esse videmus in Varronis l. de l. l. scr. V. 74 ubi haec dea cum multis dis et deabus commemoratur quibus T. Tatius rex aras consecrasset: Iuno ipsa deest. Tum cf. Truc. v. 476: „Date mihi huc stactam atque ignem in aram ut venerem Lucinam meam," et praeterea Aug. de civ. Dei 4. 11: „(Iuppiter est) ipsa Lucina, quae a parturientibus invocatur," et inscriptionem apud Orellium 1298: Lucinae || sacr. || L. Soter || Et || Stafile.

De Iovis autem paelice Alcumena poetam nostrum loqui non potuisse (in Merc. v. 690) puto, siquidem verba sua intellegi vellet, nisi Amphitruone iam antea in scaenam producta Romanis illius fabulam notam esse scivisset. Quare

Iovi;" Poen. 5. 4. 49 sq.: „Patrue mi, ita me di amabunt, ut ego si sim Iuppiter, Iam hercle illance uxorem ducam et Iunonem extrudam foras;" omnino non solum maritus et uxor Iuppiter et Iuno nominantur (ut in Cas. v. 2. 3. 14: „Eia mea Iuno non decet tam tristem te esse tuo Iovi") sed etiam dominus et domina: vide Cas. v. 2, 6. 54: „Quid tibi istunc tactio est?" ::„Quia Iuppiter iussit meus," sq.; in Merc. v. 689 Syra ancilla Dorippam dominam adloquitur: „Iuno mea!" et in Pers. v. 1. 3. 20 Saturio parasitus iocose Toxilum servom: „Iuppiter terrestris!" in Ps. v. 330 Calidorus de Ballione: „Audin quid ait Iuppiter?" cf. v. 335.

cum Mercator non ante annum 558 u. c. primum acta sit, sententiam Ladewigii in mus. rhen. vol. III p. 184 non accipio, qui aliis causis mihi quidem minime probabilibus Amphitruonem primum anno 559 u. c. in theatro spectatam esse contendit.

Uno praeterea loco Aulul. 555 sq. Plautus fabulis suis narrationem de Iunone e Graeca mythologia petitam intexuit. Euclio enim Megadoro conviciatus quod omnes domi angulos furum implevisset pergit: „Quos si Argus servet qui oculeus totus fuit, Quem quondam Ioni Iuno custodem addidit, Is nunquam servet;“ hunc locum poeta sine dubio ex comico quodam in textum suum recepit qui versum tragoediae ‚Io' inscriptae serio vel ioco videtur imitatus esse. Comparari potest Aesch. Suppl. v. 291: „*τὸν πάνθ᾽ ὁρῶντα φύλακ᾽ ἐπέστησεν βοΐ,*“ (sc. *Ἥρα*) ac ne Acci quidem tragici versus ex Ione petitus (386 R.) a verbis Plautinis multum differt: „Custodem adsiduum Ioni adposuit virgini.“ Menander autem de Argo loquitur (Stob. Serm. 74, 27): „*λάθοι δ᾽ ἂν Ἄργου τὰς πυκνοφθάλμους κόρας.*“ Cf. Arist. Eccl. v 80. 81 cum Schol.; vide praeterea de Cratino Mueller Gesch. der griech. Litter. II³ 234.

Filii Iovis sunt Castor et Pollux (Polluces: vide Bacch. v. 894) quorum templum in Curc. v. 481 ut solet „aedes Castoris“ nominatur. Iam anno 258 u. c. horum deorum cultus institutus erat et quam cari fuerint populo, inde evidenter apparet, quod nullae fortasse interiectiones in sermone volgari maiori usui fuerunt quam edepol (pol) et (m) ecastor. Quid inter eas intersit vide apud Prellerum p. 658. Huc pertinet etiam particula ‚hercle', quae ipsa de dei nomine sumpta milies in Plauto nobis occurrit; cf. Preller p. 653. ‚Eccere' autem, quae vox cum Cerere cohaerere antea putabatur, Ribbeckii sagacitate — Beiträge zur Lehre von den lat. Partikeln, Leipzig 1869 p. 43 sq. — nihil aliud esse quam ‚ecce-rem' comprobatum est. De pol ecastor hercle cf. praeterea Grimm l. i. p. 10. 359. 966.

De Minerva breviter exponere licet: nam praeter Bacch.

v. 893: „ita me .. Minerva .. amet,“ conferendus est tantum Mil. glor. v. 691 sq., ubi Periplecomenus cum de bonis et malis uxoribus multa disserat harum quandam dicentem facit: „Da mihi vir Calendis meam qui matrem munerem, Da qui faciam condimenta, da quod dem quinquatribus Praecantrici coniectrici hariolae[1]) atque haruspicae, Tum plicatricem clementer non potest quin munerem eqs. . . . .“ quae verba ut opinor quomodo hic dies quinquatruum celebratus sit optime significant, quamquam haud insulse comparantur a Lobeckio in Aglaophami p. 1039 cum Menandri loco illo quo maritus aliquis inducitur *ἀχθόμενος ταῖς περὶ τὰς θυσίας τῶν γυναικῶν δαπάναις;*[2]) sed quamquam ex Graeci cuiusdam poetae fabula translata ea esse non puto, quippe quae nimis ad Romanos mores accedant, tamen concedo, Plautum Menandri loco permotum esse posse, ut versus illos ita scriberet; cf. sequentia verba Lobeckii: „Ac Romae quoque ipsis Plauti temporibus et prius multos fuisse, qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertiae quaererent docent Enni versus nobilissimi (apud Ribbeckium p. 44 sq.) et Catonis crebrae admonitiones de r. r. c. 5. 13.“

Sed ad Apollinem venimus: in Bacch. v. 172 sq. haec verba leguntur Crusali: „Erilis patria salve quam ego biennio Postquam hinc in Ephesum abii conspicio lubens, Saluto te vicine Apollo, qui aedibus Propinquos nostris accolis veneroque te eqs.,“ quo ex versu Ritschelius verss. Mercatoris 675 sq. in codicibus mutile traditos sic supplevit: (sunt verba Dorippae) „Aliquid cedo Qui vicini hanc nostram augeam aram Apollinis. Da sane hanc virgam lauri.“[3]) Haec consuetudo ante fores aram Apollinis statuendi eumque ibi

---

[1]) Koch in mus. rhen. vol. 25. p. 617 contra librorum fidem non bene coniecit: „fariolae.“

[2]) Cf. Epicharmi illud (Poll. IX. 82): „*ὥσπερ αἱ πονηραὶ μάντιες αἵθ' ὑπονέμονται γυναῖκας μωράς, αἱ μὲν οὐγκίαν ἀργυρίου, αἱ δὲ ἡμίλιτρον, ταὶ δέ λίτραν· δεχόμεναι καὶ τὰ πάντα γινώσκοντι.*

[3]) Lectio quam exhibet Goetzius in nova editione Mercatoris de summa rei nihil mutat.

venerandi cum a Romanorum ritu alienissima, apud Graecos[1]) usitatissima esset iuvat comparare quae Macrobius in Sat. l. I. 9, 6 tradit: „. . . Etenim sicut Nigidius quoque refert apud Graecos Apollo colitur qui *ϑυραῖος* vocatur eiusque aras ante fores suas celebrant, ipsum exitus et introitus demonstrantes potentem. Idem Apollo apud illos *ἀγυιεὺς* nuncupabatur, quasi viis praepositus urbanis; illi enim vias quae intra pomeria sunt *ἀγυιὰς* appellant; sed apud nos Ianum omnibus praeesse ianuis nomen ostendit, quod simile *Θυραίῳ;* nam et cum clavi et virga figuratur quasi omnium et portarum custos et rector viarum; pronuntiavit Nigidius Apollinem Ianum esse eqs. .“ Cum Romano igitur usu illud non congruit; Ianus ipse a Plauto nunquam commemoratur. — In Merc. v. 678—680: „Apollo quaeso te ut des pacem propitius Salutem et sanitatem nostrae familiae Meoque ut parcas gnato“ Apollo est medicus divinus qui omnia mala morbosque aspellit, revera *ΑΠΕΛΛΩΝ*, qua nominis forma Romani hunc deum a Graecis susceperunt. Lepidissima autem est illa scaena Men. 831—871: Menaechmus II insanum se esse simulans omnia quae insanus facit facere iussum se esse profitetur oraculo dei Apollinis, quod quanti aestimatum sit a Romanis e Tarquiniorum historia nemo nescit, ita ut spectatores quoque haec verba sine dubio comprehendere possent; cf. Pseud. v. 480: „Quod scibo Delphis tibi responsum ducito,“ et Andr. v. 698: „Non Apollinis magis verum atque hoc responsumst.“ Restat Aul. locus 394 sq., ubi Euclio: „Apollo quaeso subveni mi atque adiuva, Confige sagitis fures thensaurarios qui in re tali aliis iam subvenisti antidhac.“ Pertinent haec verba id quod Kiessling primus docuit in mus. rhen. vol. 23 p. 215 ad notam illam praesentiam Apollinis, qui cum Celtae rapaces anno

---

1) Cf. Schol. Arist. Vesp. v. 857: *πρὸ τῶν ϑυρῶν ἔϑος εἶχον κίονας εἰς ὀξὺ λήγοντας ὡς ὀβελίσκους ἱδρύειν εἰς τιμὴν Ἀπόλλωνος ἀγυιέως.* Vesp. 857: *Ὦ δέσποτ᾽ ἄναξ, γεῖτον ἀγυιεῦ, τοὐμοῦ προϑύρου προπύλαιε.* Cf. Thesm. 489.

279 a. Chr. n. Delphicum oraculum essent direpturi, sagittis suis eos dicebatur prostravisse. Haec res non mirum est quod commemorabatur ab iis quoque poetis quos Plautus secutus est; dubitandum vero est num hic ipse et spectatores haec verba intellexerint. Neque vero ab hoc deo segregare possumus Sibyllam, quam in uno Ps. v. 25: „Has (litteras) quidem pol credo, nisi Sibylla legerit, interpretari pòtis esse alium neminem“ commemoratam sine dubio e Graeco exemplari traductam esse Lorenz contendit; necesse hoc esse nemo concedet, si reputaverit, inde a Tarquinii Superbi regis aetate in quanto honore Sibyllae fuerint apud Romanos.

De Latona quae cum multis aliis dis in Bacch. v. 893 invocatur confer quod Livius in libro 5. 13 ad annum 396 a. Chr. (cf. Liv. 25. 12) tradit: „Duumviri sacris faciundis lectisternio tunc primum in urbe Romana facto per octo dies Apollinem Latonamque et Dianam . . placavere“. Zosimus quoque II. 5 in Aventino ei sacrificatum esse testatur: *θύουσι δὲ θεοῖς Διὶ καὶ Ἥρᾳ καὶ Ἀπόλλωνι καὶ Λητοῖ καὶ Ἀρτέμιδι κτέ.;* ad quod autem tempus haec verba referenda sint nescimus. In Plauto de Graecis eam sumptam esse non necesse est statuamus.

Quod ad Dianam attinet, quae in Bacch. v. 307. 312 et in Mil. gl. v. 411 apparet, satis est Ussingii verba legisse, qui in commentario suo de rebus huc pertinentibus uberrime disputavit. Neque vero recte Anspachio (De Bacch. Plaut. retractat. scaen. Bonnae 1882 p. 16) versus 312—314 Bacch. non Plautini videntur esse; „esse dubium, dicit, num iam tum templum Dianae Ephesiae Romanis ita fuerit notum, ut statim intellegere possent quod poeta diceret.“ Nam nullo modo putare possumus anno 189 a. Chr. n. quo Bacchides in scaena produceretur templum Ephesiae Dianae Romanis ignotum fuisse, qui his ipsis annis 192—189 cum Antiocho in Asia bellum gesserant.

Convertamus nunc quidem animos ad sidera eorumque cultum videamusque, num haec omnia dii vel deae habita

sint. De Sole et Luna[1]) minime dubium est quin semper apud Romanos divinorum honorum fuerint participes. Siderum autem ceterorum omnium unus Nocturnus eodem modo cultus esse videtur. Nam Plautus in Amph. v. 271—284 Sosiam et Mercurium ita loquentes fecit: S.: „Certe edepol si quicquamst aliud quod credam aut certo sciam Credo ego hac noctu Nocturnum obdormivisse ebrium. Nam neque se septentriones quoquam in caelo commovent. Neque se Luna quoquam mutat atque uti exortast semel, Nec iugulae nec vesperugo nec vergiliae occidunt. Ita statim stant signa neque nox quoquam concedit die ... Credo edepol equidem dormire Solem atque adpotum probe, Mira sunt nisi invitavit sese in cena plusculum.“ Merc.: „Ain tu vero verbero? Deos esse tui similes putas?“ Hoc igitur versu Solem et Nocturnum stellas esse deos poeta aperte dicit.[2]) Neque vero de ceteris stellis Plauti aetate Romanos idem sensisse putaverim; nam Cicero cum in libro de deor. nat. II. 16. 44 (cf. 15. 42) Lucilium interlocutorem dicentem facit: „esse igitur deos (sc. sidera) ita perspicuum est ut id qui neget vix eum sanae mentis existumem“, nonne sententiam nec antiquam nec antea pro recta habitam videtur proponere? (cf. Ov. fast. III. 112). Hauserat autem ex Cleanthe et Posidonio qui stellas divinis honoribus afficiendas esse dixerant. Luna et Sol a Plauto di appellantur in Bacch. v. 255: „Volcanus Luna Sol[3]) Dies di quatuor Scelestiorem

---

[1]) Cf. Plut. quaest. Rom. cap. 74: τῶν ὁρατῶν θεῶν βασιλεύουσιν ἥλιος καὶ σελήνη; de ceteris stellis nihil addit. — Welcker gr. Götterl. I. 400: Nihil in natura tantam potestatem habere ab omnibus fere populis putabatur quam Sol et Luna. — cf. Grimm p. 17.

[2]) Accedit quod apud Mart. Cap. p. 17, 23; 18, 24 ubi Juppiter deorum concilium convocat qui de Mercurii et Philologiae nuptiis consulantur Nocturnus quoque bis commemoratur qui nescio qua causa ab Eyssenhardt 17. 28 e textu deletus est. Totus locus e Varrone videtur esse sublatus: cf. Nissen l. i. p. 184; et vide Henzen-Orelli III, p. 167.

[3]) Mirum videtur id quod Caesar nobis narrat (Bell. gall. 6, 21), a Germanis hos tres tantum deos esse habitos: „deorum numero

nullum inluxere alterum." Quod autem Diem ipsum — vide etiam Capt. v. 464 — deum esse dicit non est cur miremur; nam ab eadem radice dju derivandus est a qua „Jovis", ita ut inter Diespiter quoque et Jovispater revera discrimen non sit. In Plauto ter tantum — Capt. 909, Poen. 3. 4. 31, 4. 2. 47 — Iuppiter Diespiter nominatur. Nec vero dubito Noctem quoque deam Romanis vindicare, cum in Merc. prol. v. 12 sq. legatur: „Non ego item facio ut alios in comoediis Vi vidi amoris facere, qui aut Nocti aut Dii Aut Soli aut Lunae miserias narrant suas"; quae dea cum et apud Graecos — Iliad. v. 14, 259. 261. — et apud maiores nostros — Grimm p. 714 — nobis occurrat nescio cur Romanis defuisse eam putemus. Fortasse huc pertinent Amph. quoque vss. 276. 277: „Perge Nox ut occepisti: gere patri morem meo: Optumo optume optumam operam das, datam pulcre locas" (cf. 546).

Solem in quadriga sedentem in caelo currere et Romani et Graeci putabant (cf. Preller p. 288), quare in Amph. v. 422 Mercurius a Sosia quod signum in cistula esset interrogatus respondet: „Cum quadrigis Sol exoriens." Cuius dei filia Circe quae in Epid. v. 604 apparet: „Abi modo intro atque hanc adserva Circam Solis filiam" de Graecis sumpta est; cf. Cic. de deor. nat. III. 19. 48, Tibulli carm. IV. 1. 61; Odyss. X. 136—138, Hes. theog. 957. Ceteris locis quibus Sol vel Luna commemorantur eos ut deos intellegamus non necesse est praeter Mil. gl. v. 803: „Non potuit reperire, si ipsi Soli quaerundas dares, Lepidiores duas ad hanc rem quam ego habeo."

Martem ut constat in Italia rebus bellicis praefuisse, sic apud Plautum ipsum hic deus omnium bellatorum est fortissimus, quemadmodum Artotrogus de milite glorioso iacta-

---

eos solos ducunt quos cernunt et quorum opibus aperte iuvantur, Solem et Volcanum et Lunam; reliquos ne fama quidem acceperunt", quibus verbis quatenus fidem habere possimus exposuit Grimm d. M. p. 92. cf. 568. 667.

tore illo ridiculo per iocum dicit in versu 11: „Tam bellatorem Mars se haud ausit dicere;“ itaque in Truc. 515 Stratophanes miles de se ipso: „Mars peregre adveniens salutat Nerienem uxorem suam.“ Neque ergo mirum videtur, quod bellatores qui in comoedia in scaenam prodeunt per hunc deum iurant, ut est in Mil. glor. v. 1414 ubi Pyrgopolinices dicit: „Iuro per Iovem et Mavortem me nociturum nemini;“ cf. praeterea Bacch. v. 847 ubi Cleomachus miles: „Nam neque Bellona mihi unquam nec Mars creduat, Ni illum exanimalem faxo.“ Bellona in Amph. quoque prologi versu 43 cum Marte coniuncta est, cum in Truc. versu s. s. Nerio uxor eius appelletur, quam hoc nomine a Sabinis cultam esse scimus, fortasse etiam ab Umbris, qui ut tabulae Iguvinae docent radicem huius vocis „ner“ (cf. ἀνήρ) in lingua sua exhibent. Huc pertinet urbis quoque Narniae nomen in Umbria sitae. Quod autem Mars cum Venere coniungitur in Mil. glor. v. 1384, ubi puer qui Pyrgopolinicem maxime a duobus dis curari contenderat, ab hoc quinam hi duo di essent interrogatus respondet: „Mars et Venus,“ haec coniunctio ea de causa facta est, quod ut Mars Pyrgopolinicem in militia, sic in amore Venus tutatur; sane Thebis hos deos eximio honore insignes fuisse scimus, cum urbem et civitatem et condidisse et semper defendere putarentur. Sed ut iam dixi huc versus 1384 non est referendus. In Italia autem Marti lupus sacer erat, unde intellegimus iocum in Strabacis verbis (Truc. 654): „Fuit edepol Mars meo periratus patri, Nam ovis illius hau longe absunt a lupis;“ similisque est versus Poen. 3. 3. 31, ubi advocatus: „Hunc chlamydatum, quem vides, ei Mars iratust;“ haec verba enim pertinent ad Lyci personam, cuius nomen quod Lupi simile est ioci illius causa fit; cf. v. 33. Cum autem Mars summus belli dux sit et imperator, Romanos in omnibus bellicis rebus defendere et tueri debet, ut est in Asin. versu 15: „Uti vos alias, pariter nunc Mars adiuvet.“

Ad Venerem transeamus, quae dea Romano habitu amisso plane in Graecam Ἀφροδίτην mutata est in comoe-

dia quidem. Nam ubi est dea herbarum, vitium, veris eiusque gaudiorum, qualis maxime antea Romanis esse videbatur? Contra in comoedia est dea amoris, libidinis, venustatis, corporis pulchritudinis; quod non mirabimur si cogitaverimus in Graecia illis quidem temporibus hanc deae naturam praevaluisse et ita per comicos descriptam esse. Quo fit ut imprimis amantes — cf. Cas. III. 4. 27; Poen. I. 2. 66, 166; Rud. 421 sq.; Merc. 38; Trin. 658; Mil. 1228; Men. 371 Stich. 742; Curc. 123, 208; — et meretrices eam venerentur, ut est in Poen. v. 4. 2. 27: „Nam meretrices nostrae primis hostiis Venerem placavere extemplo.“ Venusta porro est illa scaena Truc. 21 sq., qua cum omnes labores et dolores amatorum optime describantur, Venerem dicit Diniarchus „quam penes amantum summa summarum redeat,“ ipsam amatorum rationem nunquam ediscere. Hoc sane iocatur; revera omnes res amatorias maxime Venerem curare putabat Plautus; quare Periplecomenum „in nutricatu Venerio“ educatum esse Palaestrio dicit (Mil. v. 656) et miles gloriosus se ab hac dea amari et scit et profitetur vers. 985, 1227, 1257; quin etiam per iocum a Periplecomeno et Carione Venereus nepotulus nominatur; vide vers. 1413 et 1421. Neque alia est in Truc. v. 22—58, 141, 142 cum Astaphium dicat: „An tu te Veneris publicum aut Amoris alia lege Habere posse postulas quin otiosus fias;“ (cf. Cist. 2. 1. 1, et Pers. v. 5) et in Bacch. v. 217: „Ni nanctus Venerem essem, hanc Iunonem ducerem.“ In totam autem Truculentum bene quadrant verba in fine fabulae: „Veneris causa plaudite: eius haec in tutelast fabula.“ Huic deae conveniunt epitheta quae leguntur in Most. v. 161 „venusta,“ in Curc. v. 196 „noctuvigila,“ in Stichi v. 742 „amoena,“ in Cas. 4. 4. 18 „multipotens“ atque huc pertinent „Veneria vadimonia“ in Curc. v. 162. Sequi et comitari Venerem solent Amor et Cupido. Apud poetam nostrum Cupido et Venus eandem fere significationem exhibent quare coniunguntur ut in Curc. v. 3: „Quo Venus Cupidoque imperant“ (eo). Quod autem discrimen inter Cupidinem et Amorem statuit Nonius p. 421 M.:

„Cupido inconsideratae est necessitatis, amor iudicii[1])“ hoc a Plauto observatum esse videbimus, ea scilicet condicione ut coniuncti sint. Nam ubi vel Cupido vel Amor solus nominatus est, hoc discrimen servari neque necessarium est nec semper potuit. Primum conferas Persae versum 24: „Saucius factus sum in Veneris proelio: Sagitta cor Cupido meum transfixit“ et Asin. v. 156: „Fixus hic apud nos est animus tuos clavo Cupidinis“ quae verba ad Nonii interpretationem illustrandam non nihil afferunt. Deinde Plautus rectissime dicit in Curc. v. 3: „Quo Venus Cupidoque imperant suadetque Amor:“ nam dicendo „imperant“ violentiam ostendit, „suadet“ addendo moderationem significat, ut bene explicat Servius ad. Aen. l. 4. 194. Venerem autem et Cupidinem idem fere esse, Asin. quoque versus 803 ostendit: „Tum si coronas serta unguenta iusserit Ancillam Veneri deferre aut Cupidini . .;“ cf. Catulli carm. 36. 3; 13. 12; hunc autem Cupidinem esse inconsideratae necessitatis illustrat perbene versus Merc. 854: „O Cupido quantus es. Nam tu quemvis confidentem facile tuis factis facis Eundem ex confidente actutum diffidentem denuo.“ Apud Romanos vero Amori et Cupidini[2]) antiquitus divini honores non sunt tributi, sed Amor cum Graecorum *Ἔρωτι* et Cupido cum *Ἱμέρῳ* vel *Πόθῳ* congruont, qui in mythologia comoedia tragoedia Graeca saepe nobis occurrunt: Cf. Aesch. Suppl. v. 1005: *Μετάκοινοι δὲ φίλᾳ ματρὶ (Κύπριδι) πάρεισιν Πόθος ᾇ τ᾽ οὐδὲν ἄπαρνον τελέθει θέλκτορι Πειθοῖ.* Simili modo Plautus Most. v. 163 Amorem et Cupidinem sociavit nec Venus ipsa procul abest, id quod ea de causa sine dubio fecit ut totam amoris et libidinis vim et potentiam significaret. Rudentis fabulae versum 704: „Venerem ex concha natam esse

---

[1]) Cf. Afranium in Omine: amabit sapiens, cupient ceteri; cf. Ritschel. op. II, p. 327 sq. — Bene dicitur Cupido a Catullo in carm. 68. 133 (Ellis) 'hinc illinc circumcursans,' amatam mulierem.

[2]) Vide tamen speculum in C. I. L. I. 58 p. 26 nobis servatum: CVPIDO. VENOS. VITORIA. RIT. . . quod post primum bellum Punicum certe non factum est.

autumant" ad Graecorum fabulas referendum esse apparet non secus ac Men. v. 143 sq.: „Dic mihi, en umquam tu vidisti tabulam pictam in pariete, Ubi aquila Catameitum raperet aut ubi Venus Adoneum."[1]) Quomodo autem fieri potuerit ut Venus coniungeretur cum Volcano in Rud. v. 761 vide infra ad Volcanum. Notissima vero et antiquissima Romae erat Venus Cloacina cuius templum a T. Tatio et Romulo, priusquam bello atrocissimo finito inter se pacti essent, votum esse dicebatur; huc pertinet versus Curc. 471: „Qui mendacem et gloriosum (convenire volt), apud Cloacinae sacrum (conveniet)." — Nunc quidem de pervigiliis Veneris quantum ex Plauto doceamur, pauca adnotemus. Magna enim erat dissensio inter Lobeckium (Aglaoph. p. 651) et Böttigerum (Archäologie der Malerei p. 205) vigilia sive pervigilia num omnino Romae nota fuissent; sed satis multa argumenta esse puto, quae demonstrent illum qui Romae quoque ea celebrata fuisse contendit recte iudicasse. Sane testimonia Plautina non exstant; nam primum locus omittendus est Poen. 1. 2. 105—110, quo loco Anterastilis, quae nimiam se socordiam hodie tenuisse dixerat, ab Adelphasio quanam ex causa hoc factum esset interrogata respondet: „Quia non iam dudum ante lucem ad aedem Veneris venimus Primae ut inferremus ignem in aram." ::„Ah! non factost opus: Quae habent nocturna ora noctu sacrificatum ire occupant. Priusquam Venus expergiscatur, prius depróperant sedulo Sacrificare; nam vigilante Venere si veniant eae, Ita sunt turpes credo ecastor Venerem ipsam e fano ut fugent;" nam hos versus nemo est quin videat iocülariter compositos esse, ut mulierum illarum deformitas cognoscatur. Neque vero per iocum scriptus esse videtur Curc. v. 181 quo

[1]) Hoc verbum Brixius in adnot. non satis recte dixit Plautum ipsum formasse: immo apud ipsos Graecos invenitur: vide grammaticum Bekkeri p. 346.1: *Ἀδώνιος Φερεκράτης εἶπεν ἀντὶ τοῦ Ἀδώνιδος· λέγει δὲ αἰτιατικὴν τὸν Ἀδώνιον· οὕτω δὲ καὶ Πλάτων καὶ Κρατῖνος ἀλλὰ καὶ Ἀριστοφάνης καὶ ἕτεροι· λέγουσι δὲ καὶ Ἄδωνιν αὐτὸν πολλάκις.* Utraque igitur forma in usu erat.

Palinurus Phaedromum interrogat: „Quid tu? Venerin pervigilare te vovisti Phaedrome? Nam hoc quidem edepol haud multo post luce lucebit," similiterque intellego Rud. prol. v. 60: „Ait sese Veneri velle votum solvere," quamquam hoc votum sine dubio ad aliam quoque rem quam ad pervigilia referri potest. Sed cum Plautus in fabulis suis de pervigiliis ut de more alius populi bene dicere posset, etiamsi Romae in usu non erant, his locis Plautinis Lobeckii sententia non firmatur. Restat Asin. v. 904: „Iace pater talos, ut porro nos iaciamus.":: „Maxume. Te, Philenium, mihi atque uxori mortem. hoc Veneriumst." Quatuor tali si omnes iacti alius alium numerum habebat, apud Graecos et Romanos hic iactus Venerius vocabatur; vide Ciceron. de div. I. 13, 23 et II 21. 48.

Sequitur ut de Cerere disseramus quae inde ab antiquissimis temporibus in Italia culta imprimis dea frumenti esse putabatur; quare Plautus in Rud. v. 144—146 Sceparnionem ad Plesidippum recte dicentem fecit: „Nullumst periclum te hinc ire inpransum domum. Cererem te meliust quam Venerem sectarier; Amori haec curat, tritico curat Ceres." Cereris vero vigilia quae commemorantur in Aulul. v. 36 et 794: „Ego me, inquit Lyconides, iniuriam fecisse filiae fateor tuae Cereris vigiliis per vinum atque impulsu adulescentiae," quaeritur utrum ad Thesmophoria an ad ipsa Eleusinia referamus. Nam illis quoque licuisse viris interesse non plane improbabile est scholiis ad Lucianum primum editis ab Erw. Rhode in mus. rhen. vol. 25 pag. 548—560; vide praeterea Schoemann l. i. p. 483. In huius deae festo die qui Cereris nuptiae vocabatur vinum adhibitum non esse docent Aul. vers. 354—356: St.: „Cererin, Strobile, hi sunt facturi nuptias?" Str.: „Qui?" St.: „Quia temeti nihil allatum intellego," quibus cum verbis Catonis doctrina cohaeret sacra quaedam Cereris ἄοινα fuisse; de hac re uberrime Ussingius in commentario suo disputavit. Apud Graecos quoque a multis sacrificiis usus vini alienus erat sed de Cerere nihil scimus; cf. Hermann l. i. p. 148 adn

20; Schoemann II. 230. Tum huc pertinet cerealis cena in Men. v. 101, de qua vide Brixium.

Ut Ceres ita Liber quoque antequam cum Dionyso commixtus est in Italia in magno honore erat. Praeerat enim maxime vino id quod nonnullis locis Plautinis comprobari videmus. In Stichi v. 704 Stichus Sagarinum interrogat: „Utrumne Fontine[1]) an Libero Imperium te inhibere mavis?“ et Sag. respondet: „Nimio liquido Libero.“ Quo fit ut vinum poeta dicat esse florem Liberi vel leporem ut in Curc. v. 98: „Salve, anime, mi lepos Liberi: ut veteris vini sum cupida;“ Cist. 1. 2. 8: „me complevi flore Liberi;“ cf. Cas. 3. 5. 15; et Liber ipse ‚vini pollens' est in Curc. v. 114. Iam a Livio Andronico vinum flos Liberi nominatum erat ut fr. docent apud Ribb. p. 4: „Florem anculabant Liberi ex carchesiis.“ Ex aliis quoque scriptoribus similes locos Duentzer in editione sua (p. 87) congessit. Sed non solum vini Liber deus erat sed etiam libertatis. Liber enim est ut ait Servius ad Aen. l. IV. 58 apte urbibus libertatis deus; unde iocum intellegemus in Capt. v. 575—578: Tyndarus dicit: „Servos es, liber fuisti: et ego me confido fore, Si huius huc reconciliasso in libertatem filium.“ Arist.: „Quid ais furcifer? Tun memoras gnatum te esse liberum?“ Tynd.: „Non equidem me Liberum, sed Philocratem esse aio.“ Neque omittendum est apud Graecos Διονύσῳ cognomina fuisse Ἐλεύθερον, Ἐλευθέριον, Ἐλευθερέα: cf. Preller myth. Graec. I³ 551. 553 adn. 3. 555. 585.

Contemplemur nunc quidem sortem mortuorum quos Romani vivis hominibus auxilio esse putabant eorumque rebus omnibus providere atque consulere. Homines simulac vita decesserunt in Acheruntem veniunt — in communem locum ut est in Cas. prol. v. 19 — (cf. 2. 8. 12; Merc. 606; Poen. 1. 3. 22.), quod nomen tartari apud Etruscos quoque usitatum (vide Muellerum II. 26) mature ut videtur Italis per

---

[1]) „Fonti“ non „fonti“ scribendum est; nam Fons aquarum deus erat eique Romae in multis aris sacrificabatur.

Graecos notum factum est. Hic ab omnibus de tota vita ratio exigitur: „Aequo mendicus atque ille opulentissimus Censetur censu ad Acheruntem mortuos“ ut est in Trin. v. 493 sq. et apud meretrices „ut Acherunti ratio accepti scribitur.“ (Truc. 749.) Quod cum ita se habeat in vita homo enixe operam dare debet ut nullis criminibus commissis post mortem dignus iudicetur qui deorum vitam adipiscatur „Facito ergo ut Acherunti clueas gloria“ dicit in Capt. v. 689 Hegio, ad quae verba Tyndarus: „qui per virtutem perierit, non interit.“ Nam status post mortem est aeternus et „quo die Orcus ab Acherunte mortuos amiserit“ h. e. nunquam dicit Adelphasium in Poen. 1. 2. 131 „se cum Agorastocle caput et corpus copulaturam esse.“ Omnino autem Acheruntis nomen si audimus, metu et terrore implemur, quemadmodum Pistoclerus in Bacch. v. 198 ut summum dolorem pati se malle exprimat quam impetratum non red dere: „Regiones, inquit, colere mavellem Acheruntica.“ Huc Most. quoque versus 508 pertinet: „Guttam haud habeo sanguinis, Vivom me accersunt Acheruntem mortui“ et Amphitruonis ad Bromiam (Amph. 1078 sq.) verba: „Timeo totus, ita me increpuit Iuppiter. Non secus est quasi si ab Acherunte veniam.“ Quin etiam terra in qua Acheruntis ostium esse putabatur omnibus animantibus insalubris et inhabitabilis erat, id quod optime describitur in Trin vers. 523—552. cf. Preller myth. Gr. I. 672. Acheruns modo malorum domicilium modo bonorum[1]) significat; hoc in Capt. versu s. s. videmus, illud praeter Trin. v. 551 etiam in Capt. v. 998 „Vidi ego multa saepe picta quae Acherunti fierent Crucia-

[1]) Omnium mortuorum domicilium est Acheruns in Poen. v. 4. 2. 9. — Sedes bonorum tantum hominum sunt insulae fortunatorum (Trin. 549) de quibus cum Romani nil statuissent, de Graecis certe hi versus repetiti sunt: his enim omnibus inde ab Hesiodi temporibus de hac sede bonorum mortuorum persuasum erat; cf. Arist. Ran. v. 85 et Tibulli carm. 1. 3. 159—167. Postremo conferendus est Trin. v. 291: „Quin prius me ad pluris penetravi?“ de quo Brix. in adn. loquitur.

menta; verum enimvero nulla adaequest Acheruns, atque ubi ego fui in lapicidinis.“ Hi versus mea sententia Graecum poetam sapiunt; nam ut dicit Nissen l. i. p. 2; „Tartarum describere et variis pingere coloribus est Graecorum; Italiae incolis hic locus circumfusus est crassis tenebris in quibus homines nullo modo lineas suas ducere possunt.“[1]) Per iocum Amph. v. 1029 est compositus: „Verbero, etiam quis ego sim me rogitas, ulmorum Acheruns?“ quod cognomen servo attribuitur cuius in tergo ulmorum rami franguntur. De Poen. vero prologi versu 71 pauca adnotem: dicit poeta: „Ipse abit ad Acheruntem sine viatico,“ (cf. Mueller, plaut. Prosodie p. 382) cuius versus verba „sine viatico“ non aliter puto intellegi posse quam de Graecorum ritu mortuis priusquam efferrentur obolum in os imponendi, quod ab Romanorum usu alienum erat. Iocose appellat Plautus in Merc. v. 290 „vetulum decrepitum senem“ qui mox animam suam efflabit „Acheruntioum;“ cf. etiam Mil. v. 627 et Cas. v. 2. 1. 12, ubi „Acheruntis pabulum“ hominem significat dignum qui ad mortem mittatur. Regni autem inferorum rex cum Dis Pater quem Plautus non commemorat tum Orcus esse putabatur, ut est in Asin. v. 606: „Apud Orcum te videbo;“ cf. Mostell. v. 499. Capt. 283: „Nunc vivat necne id Orcum scire oportet;“ praeterea lege Epid. v. 363, Ps. 795, Trin. 525 cum adn. Brixii, Bacch. v. 368: „Pandite atque aperite propere ianuam hanc Orci, obsecro (cf. Aesch. Ag. v. 1245). Sed Mortem quoque ipsam ut apud Graecos ita etiam apud Plautum gessisse personam versu Cist. 3. 9 efficitur: „Recipe me ad te Mors amicum et benevolum“ quem ad versum non dubito adnectere Bacch. v. 1152: „Meum pensum ego lepide adcurabo, quamquamst Mortem amplexari;“ cf. Tibulli carm. I. 1. 70: „Iam veniet tenebris Mors adoperta caput,“ et 1. 2. 4 sq. Omnino Mortis persona omnibus populis nota est. — De more sepulcra mortuorum

---

[1]) Recte igitur dicit Calidorus in Ps. v. 90: „Certumst mihi ante tenebras persequi.“

ornandi ibique sacrificandi id quod Romani summa semper pietate faciebant comparare licet Epidici v. 175 sq.: „Quoius quotiens sepulcrum vides, sacrificas Ilico Orco hostiis nec adeo iniuria, Quia licitumst eam tibi vincere vivendo,“ quem morem ne a Graecorum quidem usu abhorruisse constat; cf. Aesch. Pers. 607—620; Agam. 1394, Thuc. 3. 58, m. a.

Hoc loco optimum est nonnulla dicere de Penatibus Laribusque quorum doctrina cum apud Romanos magis quam apud Graecos exculta sit non mirum videtur quod hac in re Plautus nihil fere nisi Romanum scripsit. Verbum „penates“ ipsum adiectivum est cum „penus“ et sim. cohaerens; Preller in myth. Rom. p. 72 vocem „genii“ supplere optumum esse putat; mihi quidem simpliciter addere „di“ magis placet, Merc. verss. 834—836 secuto, qui sic leguntur: „Di penates meum parentum familiai Lar pater, Vobis mando meum parentum rem bene ut tutemini; Ego mihi alios deos penates[1]) persequar alium Larem.“ Penatum igitur est domum penum familiam omniaque quae ad familiam pertinent conservare et tutari, quare Romani magnis semper honoribus eos colebant; cf. Phorm. v. 311: „Ego deos penates hinc salutatum domum Eo:“ adoratum prima post reditum prece ut ait Donatus. Unde fit ut Penates idem fere sint quod domus et recte versu Merc. s. s. dicit Charinus, alios Penates h. e. aliud domicilium se esse sibi quaesiturum; cf. fr. com. lat. ed. Ribb. p. 252. 110, et fr. trag. lat. p. 226. 199: „expulisti saucios patrio Lare;“ vide etiam Hor. sat. 1. 2. 56; Cat. 31. 9; 9. 3. Saepissime ut iam vidimus Lares cum Penatibus coniuncti sunt quibus cum simili modo salus familiae cordi et curae sit, similibus quoque honoribus afficiuntur: cf. Mil. v. 1339: „Etiam nunc saluto te Lar familiaris priusquam eo;“ Trin. 39; gravissimae iis res familiae commendantur; (Trin. l. s.) (Aul. 385: „Nunc tusculum emi

[1]) Cf. praeterea Serv. ad Aen. 5. 64: sciendum quia etiam domi suae sepeliebantur: unde orta est consuetudo ut dii penates colantur in domibus. — Hor. sat. 2. 3. 176: per divos oratus uterque penates; Hyginus scripsit de dis penatibus.

hoc et coronas floreas, Haec imponentur in foco nostro Lari Ut fortunatas faciat gnatae nuptias"); rebus prospere cedentibus iis gratia agitur (Rud. 1206); Lares viales qui in compitis colebantur nobis occurrunt in Merc. v. 865, ubi Charinus: „Invoco Vos Lares viales, ut me bene iuvetis." Cum autem familiarissimi amici familiae cuiuslibet sint, cenis quoque intersunt iisque cibi in patellis proponuntur[1]) unde venuste patellularii dicuntur in Cist. v. 2. 1. 46 et Larem familiarem multa deinceps familiae genera eodem semper modo tueri optime videmus in Aul. prologo cuius verba hic repetere non est necessarium.

Transeuntes ad genios primum Bacch. v. 615: „Malevolente genio natus sum" bene comparabimus cum Mil. v. 314 et Most. 563: „Natus dis inimicis omnibus," de quibus iam supra dixi.[2]) Filius autem deorum cum genius ab Aufustio apud Festum nominetur, etiam sacrificatur ei ut in Capt. v. 290 sq. Postquam autem homini datus est,[3]) cum hoc ipso ita est coniunctus, ut „ego et genius meus", „tu et genius tuus" pro una eademque persona poni possit; cuiusmodi versus exstat Curc. 628: „Servabo te tamquam me et genium meum", quocum comparare licet in Capt. v. 977 Hegionis verba quae ad Philocratem loquitur: „Per tuom te genium obsecro, exi: te volo", et versus paullo diffusiores Aul. 724: „Me egomet defraudavi Animumque meum geniumque meum." Capt. autem versus 977 in quo quasi meliorem

---

[1]) Idem mos invenitur apud veteres Germanos: Grimm, d. M. p. 41, 52, 417, 478.

[2]) Cf. Aesch. Agam. v. 1295: „*τίς ἀν εὔξαιτο βροτᾶν ἀσινεῖ δαίμονι φῦναι τάδ' ἀκούων,*" „quis haec audiens se innoxio genio natum esse censebit."

[3]) Cf. Mart. Cap. 2. 152: „ideo dicitur genius quoniam cum quis hominum genitus fuerit mox eidem copulatur;" praeterea vide Menandri fragmentum apud Mein. 534: "*Απαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται Εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου 'Αγαθός κτἑ.*" Eadem est doctrina Platonis in Phaed. p. 107 D. — Grimm p. 829: „Der wesentliche Begriff eines Schutzgeistes ist das Angeborensein."

hominis partem genium esse poeta videtur dicere voluisse; similis est Andr. v. 289: „Quod ego per hanc te dextram oro et genium tuom“, codicibus inter genium et ingenium haesitantibus; neque vero iniuria Bentleius illud praetulit Hor. ep. 1. 7. 94 comparans: „Quod te per genium dextramque deosque penates Obsecro et obtestor.“ Postremo videmus parasitos vel servos in comediis Plautinis haud male dominum cuius gratia vivont, genium nominare, quomodo Sagaristio in Pers. v. 263: „Nunc et amico prosperabo et genio meo multa bona faciam;“ cf. Stich. v. 622, Curc. 301, Men. 138. — Lares de quibus iam supra disseruimus scito semper bonorum hominum esse animos;[1]) malorum sunt Laruae quae homines omni modo vexantes non raro ad insaniam pellunt. Recte igitur legitur in Capt. v. 598: „Laruae stimulant virum“ h. e. insanus est; cf. deinde Amph. v. 777: „nam haec (Alcumena) quidem edepol Laruarum plenast; in Merc. v. 982 et Cas. 3. 4. 2 larua pro voce contumeliosa posita est. Recte igitur interpretantur Nonius p. 44: „Laruati et Cerriti[2]) = male sani et aut Cereris ira aut Laruarum incursatione animo vexati“ et Paul. p. 119: „Laruati = furiosi et mente moti, quasi Laruis exterriti.“ Ex Plauto huc pertinent versus Men. 889: „narra senex Num laruatus aut cerritust?“; fr. Amph. (ex recens. Goetzii et Loewii Lps. 1882, p. 116 et 117) VII: „Laratu's: edepol hominem miserum! medicum quaerita;“ et fr. XII: „Quaeso advenienti morbo medicari iube, Tu certe aut laruatus aut cerritus es.“ Amph. 775: „Quaeso, quin tu istanc iubes pro cerrita circumferri?“ cf. etiam Rud. 1005 sq. Poen. 3. 1. 25. — Ne praeterea omittamus adiectivum „lymphaticus“ in Poen. v. 1. 2. 132 sq. „Sunt mihi intus,“ dicit Agorastocles, „quot

[1]) Cf. Plut. quaest. Rom. cap. 11: *καὶ γὰρ ἐπὶ τῶν τάφων ὥς φησι Βάρρων περιστρέφονται καθάπερ θεῶν ἱερὰ τιμῶντες τὰ τῶν πατέρων μνήματα καὶ καύσαντες τοὺς γονεῖς, ὅταν ὀστέῳ πρῶτον ἐντύχωσι, θεὸν γεγονέναι τὸν τεθνηκότα λέγουσιν*; vide etiam Grimm p. 865.

[2]) Quid de origine huius vocabuli statuendum sit vide apud Prellerum p. 71 (407. 1).

nummuli aurei lymphatici." Adelph.: „Deferto ad me: faxo actutum constiterit lymphaticum," quod adiectivum idem fere significans quam „insanus" vel „furiosus", primitus fortasse „aquae timens" hoc loco iocalariter de nummis dictum est qui e crumina elabi furiose student.[1]) — Hoc loco placet adiungere Lavernam[2]) furum patronam quae in uno Aulul. v. 445 nobis occurrit: „ita me bene amet Laverna." Et huc pertinet fragmentum Cornicnlariae quoque Plautinae a Nonio p. 134 servatum, quod Buecheler in mus. rhen. vol. 15 p. 433 ita restituit: „Ita mihi Laverna in furtis celerassit manus;" cf. praeterea fragm. Novii apud Ribb. p. 229: „Per deam sanctam Lavernam quae mei cultrix quaestuist." De antiquitate autem huius deae coniectura fieri potest ex vasculo fictili quod inscribitur: Lavernai pocolom (cf. Ritsch. de fictil. litterat. Bonnae 1853 = opusc. IV 226 sq.).

Neptunum de quo nunc agatur Iovis fratrem esse antiquitus Romae ut videtur ignota postea cum idem qui Poseidon Graecorum putaretur usitata erat doctrina. Talis iam in Trin. versibus 820—841 saepe multumque tractatis procedit: nempe C. F. W. Muellerus in libri de pros. Plaut. scr. p. 112 hoc modo scripsit: „Salsípotenti et multípotenti Iovis frátri Nereo (et Pórtuno) Laetús lubens laudés ago et gratis gratiásque habeo et fluctibus salsis sq...." sed finem versus 820 pessime mutatum esse iam Ritschelius in opusc. volum. III. pag. 154* demonstravit. „Nereum enim nec unquam Iovis fratrem esse nec unquam pro Neptuno poni;" est enim Nereus Neptuni socer. Tum Portunus non cum Nereo sed cum Neptuno coniungitur ut est in Rud. versu 160: „Palaemon, sancte Neptuni comes;" Palaemon enim auriga Neptuni erat et utrique Corinthi ludi celebrabantur (cf. Schol. Arist.

---

[1]) De hoc vobabulo vide etiam Paulum p. 120 et Prelleri myth Graec. I. p. 595.

[2]) Compara pulchram descriptionem huius deae quam exhibe Horatius in epist. l. I. 16. 60 sq. — De etymologia huius vocabuli vide Grassmann in Kuhns Z. f. vgl. Sp. vol. XVI p. 181, qui a sanscritica radice lû = findere abscindere avellere derivat.

Equit. 609). Qui mythus postquam Romam translatus est, Palaemon Portuni partes agit ut Ovidius dicit in fast. l. VI. 541: „Quem nos Portunum, sua lingua Palaemona dicit." De Portuno vide Prellerum p. 505. Neptuni vero descriptio quam Plautus in vers. Trin. 824—840 proponit: „Atque ego tibi Neptune ante alios deos gratias ago et habeo summas; Nam te omnes saevomque severumque avidis moribus commemorant Spurcificum immanum intolerandum vesanum: ego contra opera expertus; Nam pol placido te et clementi eo usque modo ut volui usus sum in alto, Atque hanc tuam apud homines gloriam auribus iam acceperam ante: Pauperibus te parcere solitum, ditis damnare atque domare. Abi laudo: scis ordine ut aequomst tractare homines: hoc dis dignumst..." utrum Romana sit an Graeca, per se difficile sit discernere; sed etiamsi Itali utrimque maribus inclusi maria et portentosa atque turbata et placida experti erant neque quicquam simplicius erat quam hoc ad aquarum et fluctuum deum Neptunum transferre, tamen cum in his versibus nihil inveniatur quod cum Graecorum cogitatione pugnet et omnino Plauti fabulae simpliciter ex Graecis sint translatae, malim contendere hanc quoque scaenam secundum Graecum exemplar expressam esse. Cum huius scaenae verss. 820—824 cf. Most 2, 2 initium, in quo Theopropides idem redux Neptuno iocosius agit gratias quod opera eius ex mari servatus sit; versus hic repetere piget. Deinde cf. Stich. v. 402 sq. „Quom bene re gesta salvos convortor domum, Neptuno gratis habeo et tempestatibus;" similesque sunt verss. Rud. 699 et 906 (Mil. 413). Quodsi Plautus in Ps. versu 834 piscis ‚Neptuni pecudes' appellat, bene comparari potest Livi versus ex Aegistho petitus (Ribbeck fr. trag. p. 1. v. 5. 6.): „Tum autem lascivom Nerei simum pecus Ludens ad cantum classem lustratur." — Neptunus autem maris dominus et rector tempestatibus quoque imperat, unde recte Rud. vss. 83 sq. legimus: „Tempestatem cuiusmodi Neptunus nocte hac misit Proxuma, detexit ventus villam; quid verbis opust, Non ventus fuit verum Al-

cumena Euripidis." Haec ultima verba dubitari nequit quin ex poeta quodam Graecorum sumpta sint, qui hanc Euripideam fabulam deludere volebat; quis hic fuerit nescimus: Euripidem autem revera huius tituli fabulam docuisse constat; cf. Welcker de trag. Gr. p. 690—694. Neptunus vero deus aquarum non est mirum quod balinea quoque curat ut apparet in Rud. v. 527: „Edepol, Neptune, es balineator frigidus: Cum vestimentis postquam a ted abii algeo," quae verba ipsa ad Graecum exemplar referri possunt non debent. Itemque perspicuum est quod dicit omnes opes et divitias quas navigantes amiserint, Neptuni fieri; cf. Rud. v. 372 sq.: „Novi, Neptunus ita solet: quamvis fastidiosus Aedilis est: si quae improbae sunt merces, iactat omnes," maxime eas quae non iuste comparatae sunt. Ut autem omnes di id quod iam nonnunquam vidimus „genus lenonium" odit et persequitur, sic Neptunus quoque hoc modo procedit in Rud. v. 358 sq.: „O Neptune lepide salve: Ne te aleator nullus est sapientior; profecto Nimis lepide iecisti bolum: periurum (sc. lenonem) perdidisti;" cf. ibid 485 sq. et similem scaenam Most. 431—439.

Neque vero Plauti aetate ullum discrimen fuisse inter Neptunum et *Ποσειδῶνα*, cuius nomen recte derivatur a substantivo *πόσις* = potus et *Δάν* = Iovis — vide Ahrens in Philologi vol. 23, p. 211 — luculentissime Rud. v. 361—362 declarant, qui nescio an de Graeco poeta sumpti certe non inconsiderate mihi videantur compositi:

„Periit *po*tando opinor: Neptunus magnis *po*culis hac nocte eum invitavit." Nam *Ποσειδῶνα* Graecorum cum Dionyso vini deo arte coniunctum fuisse scimus, qua de re apud Romanos antea nihil constabat. Unde etiam melius intellegemus Rud. vers. 588 sq.: „Quasi *vinis graecis* Neptunus nobis suffudit mare, Itaque alvom prodi speravit nobis salsis *po*culis. — Denique restat Milit. v. 15, in quo Pyrgopol. ridicule loquitur de nepote quodam Neptuni quem Antigonum Gonatam intellegendum esse Demetrii Poliorcetis filium qui se Neptuni filium appellasset primus docuit Berg-

kius; vide Brix. ad hunc versum edit. III. Quodsi verum est, a Graecis est translatum.

Volcanus imprimis ignis deus erat nomenque Mulciber ob eam causam ei inditum est, quod ut ait Macrobius l. 6. 5 init. „ignis sit et omnia mulceat et domet; Accius in Philoctete: Heu Mulciber Arma ignavo es invicta fabricatus manu.“ Bene igitur Plautus in Epidici versu 36 sq. dicit: „Erit illi illa res honori.“ :: „Qui?“ :: „Quia ante Achilli [1]) fuit, Mulciber credo arma fecit quae habuit Stratippocles;“ ibidem v. 674 quoque huc pertinet: „Apage illum a me; nam ille quidem Volcani iratist filius; Quaqua tangit omne amburit. prope sist aestu calefacit.“ Sic factum est ut Volcanus pro ipso igni poneretur; nam id quod erat a deo datum, nomine ipsius dei veteres nuncupabant, ut cum frugem Cererem [2]) appellabant, tum vinum Liberum, ex quo illud Terenti: „Sine Cerere et Libero friget Venus;“ cf. Cic. de deor. nat. II. 23. 60. Apud Romanos [3]) primus ipse Plautus licentiam huius *μετωνυμίας* sibi sumpsit cum in Men. v. 330 Cylindrum coquom dicentem faciat: „Haec appono ad Volcani violentiam.“ Hanc metonymiam Brixius putat comoediae stilum excedere; sed conferamus Arist. Plut. 661: „*Ἡφαίστου φλόξ*“ quae verba locum quendam tragici poetae deridere sane possunt, debent minime. Ex Plauto comparare licet etiam Aulul. v. 359 sq.: „Quid? impurate [4]), quamquam Volcano studes, Cenaene causa aut tuae mercedis gratia Nos nostras aedis postulas comburere?“ (Mil. 653; Rud. v. 761).

Sol autem et ignis (vel Volcanus) cum inter se non multum differre Romanis viderentur (vide Preller p. 528;

---

[1]) Cf. Kiessling in mus. rhen. vol. 24 p. 118.

[2]) Sabinos cererem panem appellasse dicit Servius ad. Verg. Georg. I. 17.

[3]) Primus apud Graecos Prodicus Cius dixit homines cum omnia quae sibi prodessent vim divinam habere putassent, panem Cererem vinum Dionysum ignem appellasse Hephaestum; vide Ciceron. de deor. nat. I. 42. 118; Sext. Emp. adv. Math. 9, 18; 51 sq.

[4]) Cf. Leo. l. i. p. 26.

Grimm d. M. p. 568) et saepe eodem fere sensu ponerentur, bene compositus est Bacch. v. 255: „Volcanus Luna Sol Dies di quatuor Scelestiorem nullum inluxere alterum.“ Restat Rudentis versus 761 quo Plautus Labracem lenonem dicentem finxit: „Volcanum adducam, is Venerist advorsarius.“ Hanc fabulam poeta a Graecis transtulit: Romanis ignota erat; Volcanus enim ex quo Venerem uxorem suam in adulterio cum Marte deprehenderat, coniugi suae vehementer irascebatur, quod Martem belli deum eximia forma insignem magis amavisset quam se ipsum fuliginosum ferri opificem (cf. Od. 8. 266 sq.). Quamquam Plutarchus in quaest. Rom. cap. 47 [1]) quod inimicitiae inter Venerem et Volcanum Romanis notae fuissent, templum huius dei extra urbem aedificatum esse tradit, ne Mars et Volcanus in urbe ipsa inter se bellarent. Melius ut opinor Prellerus de hac re iudicavit p. 531, Romanos cum in vetere urbe multae angustiae flexuraeque vicorum fuissent itaque igni exorto damnum facile permagnum esse potuisset, Volcani ignis dei templum extra muros maluisse aedificare.

Paullo uberius de Fortuna disserendum est, dea illa a Romanis magis ut videtur quam a Graecis culta et adorata; nam *Τύχη* a veteribus Graecorum poetis raro, saepius ab iis commemoratur quos Plautus est imitatus. Poeta etsi inter bonam et malam Fortunam discernit, tamen illa praevalet; nam plerumque aut nisi epitheton adiectum est, Fortuna vim bonae F. habet aut cum adiectivis boni augurii coniungitur ut in verbis Toxili (Pers. 515): „Neque quam [2]) tibi Fortuna faculam lucrifica adlucere volt,“ ad quae Dordalus: „quae istaec lucrificast Fortuna?“ unde colligere licet

---

[1]) *Διὰ τί το τοῦ Ἡφαίστου ἱερὸν ἔξω πόλεως ὁ Ῥωμύλος ἱδρύσατο; πότερον διὰ τὴν μυθολογουμένην πρὸς Ἄρη ζηλοτυπίαν τοῦ Ἡφαίστου δι' Ἀφροδίτην υἱὸς εἶναι δοκῶν Ἄρεος, οὐκ ἐποιήσατο σύνοικον οὐδὲ ὁμόπολιν αὐτόν;* Plutarchi aetate Graeca fabula omnibus satis nota erat.

[2]) Cf. Buecheler in Fleckeis. ann. 1863. p. 783.

hoc epitheton Plautum ipsum primum formasse. Cognomen Obsequenti non ei inditum est a Plauto id quod Preller putat p. 558; nam Asin. v. 716 legendus est: „Quem te deum autem nominem?“ :: „Fortunam *atque* Obsequentem.“ Ad Fortunam Respicientem pertinet Capt. v. 834 de quo Brixius dicit; cf. praeterea Poen. v. 1. 2. 197. Magna quin summa potentia huic deae erat[1]) et vel prudentissimum hominem Fortuna intellegentia et consilio superat;[2]) recte igitur Plautus in Pseud. v. 678 dicit: „Centum doctum hominum consilia sola haec devincit dea Fortuna,“ similiterque in Capt. v. 304: „Fortuna humana fingit artatque ut lubet;“ et interdum fit, ut homines fallat et irrideat ut est in Asin. v. 727: „Ut consuevere, homines Salus frustratur et Fortuna;“ nimirum Argurippus sorte sua non contentus rem deteriorem facit quam revera est; nam Salus per se homini nocere non potest. Multa autem cognomina cum Fortunae essent haud male compositus est Poen. v. 5. 2. 13: „Aliqua Fortuna fuerit adiutrix tibi.“ Pauca addo ad Aul. vers. 100 sq.: „Si Bona Fortuna veniat ne intromiseris,“ — hoc dicit Euclio qui omnes homines fures esse suspicatur —; „Pol ea ipsa,“ respondet Staphyla, „credo ne intromittatur cavet; Nam ad aedes nostras nunquam adit, quamquam propest:“ hunc posteriorem versum alii alio modo, Ussingius mea sententia recte interpretatus est dicens: „quamvis (malim: etiamsi) prope sit.“ Nam Fortunam domos singulorum hominum visitare modo hic modo illic bona sua tribuentem Romani mihi videntur putasse[3]) nec necessarium est credere quod Wagner ad hunc versum adnotat: „Those commentators who adopt the reading of B (quāquā p pe ē = quamquam propest) suppose

---

[1]) Quin etiam Praeneste Fortuna Primigenia mater Iovis et Iunonis esse putabatur: Preller p. 561.

[2]) „Nihil enim est tam contrarium rationi et constantiae quam Fortuna ut mihi ne in deum quidem cadere videatur ut sciat quid casu et fortuito factum sit“: Cic. de divin. II. 7. 18.

[3]) Cf. Querolum p. 42, 11: Ipsam Bonam F. clamantem pulsantemque hodie nemo audiat.

that a temple of B. F. was close to Euclio's house," ita ut Fortunae templum prope domum Euclionis esset.

Postremo Capt. v. 864 sq. et Asin. v. 716 non mihi videntur neglegendi, etiamsi utrumque locum poeta ioculariter scripsit. Priore loco Ergasilus cum vasa pura se adornaturum dixerit ut sacrificet, ab Hegione interrogatus cui deo sacrificium fieret: „Mihi, inquit, hercle; nam ego nunc tibi sum summus Iuppiter, Idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Laetitia, Gaudium;" :: „Proinde tu deum hunc saturitate facias tranquillum tibi;" posteriore loco Argurippus Leonidae interroganti: „Quem te deum autem nominem?" respondet: „Fortunam atque Obsequentem." In his versibus significationem, fortasse παρῳδίαν indigitamentorum inesse suspicor quae quantam vim habuerint in veterum Romanorum religione nemo est quin sciat. Nam ex quacunque parte deus aliquis potestatem suam ostenderat, nomine illuc pertinente eum appellari oportebat, ac ne ignorantia recti deus offenderetur, formulis precationum addere solebant: „vel quo alio nomine appellari volueris;" cf. Serv. ad Aen. l. IV. 577. Quam ob causam Leonidas cum interrogaverit: „Quem te deum autem nominem?" Argurippus dicit: „Fortunam atque Obsequentem" quas inter deas nullum fere discrimen interest. Similiter in Capt. nomina Salutis Fortunae Lucis Laetitiae Gaudii summus Iuppiter omnia sibi addere potest, cum ipse salutem fortunam lucem laetitiam gaudium praebeat, quare optime in versu 865 de ‚uno' non de pluribus dis dicitur. Sed huc pertinet illa quoque scaena lepidissima Bacch. 115 sq. ubi Pistoclerus ad Ludum dicit; „(Hic habitat) Amor Voluptas Venus Venustas Gaudium Iocus Ludus Sermo Suavisaviatio,[1]) quae

[1]) De hoc verbo disseruit M. Hauptius in ind. lect. Berol. 1856 p. 8: „finxit Plautus hoc vocabulum aut accepit antea fictum eiusdem vocis quasi geminatione: non dissimilia sunt χελιχελώνη ut Bekkerus scripsit in puellari cantione a Polluce IX 25 allata, tum Aristophanis illud πονωπόνηρος in Vesp. v. 466 et in Lys. v. 350;" cf. Plauti Ps. v. 63. 882. 948.

nomina omnia si vis ad unam Venerem referre possis. Poetam autem Musa procax paullo longius duxit et Ludus quid sit Suavisaviatio nescius rogat: „An deus est ullus S.", quare Pistoclerus vituperans respondet: „I, stultior es barbaro puticio,[1]) qui tantus natu deorum nescis nomina." — Consecratio autem Libani in Asin. versu s. s. (cf. „Servitus" 306, „Lubentia" 268) ex penitissimo Romanorum ingenio fluxit (cf. Ribbeck. in mus. rhen. vol. 37. p. 54 et Nissen l. i. p. 8). — Fortunam praecipue bonam deam esse ex multis locis apparuit; sed ipsam Malam Fortunam reperimus in Rud. v. 501: — sunt verba Labracis — „Malam Fortunam in aedis te adduxi meas." Apud Terentium vero Fortuna solet incerta esse, quemadmodum in Phorm. v. 841: „O Fortuna, o Fors Fortuna, quantis commoditatibus, Quam subito meo ero Antiphoni ope vostra hunc onerastis diem," quem ad versum Donatus haud insulse adnotat: „Fortuna est incerta res, Fors Fortuna eventus fortunae bonus;" Terentius igitur se ipse quasi corrigens ad „Fortuna" addit „Fors Fortuna." Idemque Donatus ad Hecyrae v. 386: „Fortuna in incerto, Fors Fortuna in bono ponitur," neque ad eiusdem fabulae versum 406: „O Fortuna, ut nunquam perpetuo es data" omisit dicere: „hic Fortunam pro bona posuit." Nam cum Terenti more hoc non conveniebat. Ut vero Fortuna sic Fors quoque sola posita videtur fuisse incerta. Scripsit enim Terentius in Phorm. v. 138: „Quod Fors feret, feremus aequo animo;" quem versum si legimus facile recordamur Menandrum quoque saepissime nos admonere ut difficultates huius vitae libenter patienterque toleremus neve nimis indulgeamus dolori. Quos locos ut cognoscas adeas si placet P. Wendlerum qui in libello cui titulus est: Mediae ac recentioris comoediae atticae poetae quid de dis senserint (Gorlicii 1870) Menandri quoque versus huc pertinentes p. 37—44 contulit.

De Mercurio breviter exponere licet: a Romanis antea

[1]) Ex emendatione Buecheleri in mus. rhen. v. 37, 530 qui primus haec verba recte interpretatus est.

deus mercimonii tantum habitus[1]) postea virtutes et vitia quae in hoc deo inesse Graeci putabant sibi vindicavit. Plautus quidem praeter Amphitruonem fabulam hunc deum solis mercatoribus auxilio esse putabat; recte igitur Stich. v. 404: „Semol Mercurio (gratias ago) qui me in mercimoniis Iuvit lucrisque quadruplicavit rem meam.“ Cur autem poeta scripserit: „quadruplicavit“,[2]) si causam quaerimus, haec ni fallor a Graecis repetenda est, ex quorum doctrina numerus quaternarius huic deo sacer erat: nam quarto die mensis natum eum esse putabant; cf. Schol. Arist. Plut. 1126 et pleraque etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurata esse a Macrobio docemur in sat. l. 1. 19 quod totum capitulum ad Graecos pertineat necesse est. Num Romae quoque numerus ille ei sacer fuerit nescimus; Paulus quidem p. 148 hoc tradit: „Maiis Idibus mercatorum dies festus erat, quod eo die Mercurii aedes esset dedicata,“ unde in rem nostram nihil proficimus. Ad mercimonii deum spectant etiam Amph. prol. v. 1—8 et Cas. 2. 3. 20: „Utinam te bonus Mercurius perdat, qui haec mihi dedisti, muropola!“ et Poen. v. 1. 2. 114. In Amph. vero fabula omnino Graecus potius quam Romanus exsistit Mercurius: hic enim in adulterio Iovis patris sui ministrum diligentem se praestat; cf. Amph. v. 126: „... ut praeservire amanti me possem patri“, et maxime v. 463—65: „Bene prospereque hoc operis processit mihi: Amovi a foribus maximam molestiam, Patri ut liceret tuto illam amplexarier“; v. 993 „Amanti supparasitor, hortor, asto, admoneo, gaudeo;“ cf. v. 1004. Hanc naturam Romani antea ei non addiderant. Quodsi in Stich. v. 274 legitur: „Mercurius Iovis qui nuntius perhibetur“, bene dicitur „perhibetur“ non „est“ vel simile quid; nam novom hoc erat, Graecis usitatum, a Romanorum veterum cogitatione alienum; cf. Amph. prol. v. 8 sq. Sed praeterea Mercurius dolum quoque et

[1]) Cf. Paulum p. 124: Mercurius a mercibus est dictus. Hunc enim negotiorum omnium existumabant esse deum.

[2]) Cf. Curc. v. 619: „quam ego pecuniam quadruplicem abs ted et lenone auferam;“ vide Ritschel. op. III. p. 122.

astutiam amabat quae res cum mercimonio cohaerent. Recte igitur de se ipse dicit in Amph. v. 470: „Erroris ambo ego illos et dementiae Complebo atque Amphitruonis omnem familiam."

Convertamus ad Aesculapium deum cuius cultum totum Romani e Graecia transtulerunt qua de re Preller p. 134 et 606 luculenter disseruit. Quo factum est ut hunc quoque deum aperto capite venerarentur; hoc enim e Curc. versu 389 si recte video concludi debet. Curculio Luconem advenientem cum viderit: „Quis, inquit, hic est operto capite qui Aesculapium Salutat"? Quod si Luco recte fecerat non erat cur Curculio de hac re quicquam diceret: sed de mira illa et falsa salutatione tacere non poterat. Cum Aesculapii autem cultu incubatio quoque antea Romae ignota (cf. Marquardt l. i p. 98) ascita est. Quo de divinationis genere satis docemur verbis Cappadocis in Curc. vss. 260 sq. „Hac nocte in somnis visus sum tuerier Procul sedere longe a me Aesculapium: Neque eum ad me adire neque me magni pendere Visumst". Coq.: „Idem alios deos facturos scilicet: Sane illi inter se congruont concorditer. Nihil est mirandum melius si nil sit tibi: Namque incubare satius te fuerat Iovi, Auxilio tibi qui in iureiurando fuit." Capp.: „Si quidem incubare qui periurarint velint, Locus non praehiberi potis est in Capitolio." Coq.: „Hoc animum advorte: pacem ab Aesculapio petas, ne forte eveniat tibi magnum malum[1]) Quod in quiete tibi portentumst." Incubare igitur si quis vellet, omni eum culpa et vitiis liberum esse oportebat, quare Cappadox periurus recte dicit in v. 216: „Migrare certumst nunc iam e fano foras" nec nisi venia petita malus homo bonum augurium sibi portendi sperare potest; cf. v. 270 sq. Apud Graecos vero omnes di somniis voluntates suas ostendere putabantur (cf. Hermann p. 229. 7 et 264. 1), maxime

[1]) Hunc versum 271 Fleckeisenus sic scripsit: „Petas ne fors tibi evenat magnum malum;" Muellerus: „Petas ne tibi forte evenat m. m.;" sed formam „evenat" in fine tantum versus usitatam hoc loco contra libros in textum recipere non audeam; cf. Brix. ad Trin. v. 41.

Iuppiter ipse (Καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν). In nostro loco Plautino incubatione dicitur Aesculapius consultus esse et Iuppiter ipse; sed etiam multi alii di apud Romanos quid vellent somniis ostendere credebantur cuius rei testimonia haud pauca Marquardt. p. 97 sq. congessit. Quem autem deum aliquis imprimis venerabatur e. c. per quem iuraverat, huic quoque incubare optimum fuisse videtur. Quare quod Iuppiter Cappadoci in iureiurando auxilio fuisset dicit coquos melius fuisse huic eum incubare. Atque in Hecyrae versu 336, ubi Sostrata ne Philumenae morbus aggravescat timens: „Quod te, inquit, Aesculapi et te, Salus, ne quid sit huius oro,“ meminerimus anno 180 a. Chr. libris a decemviris inspectis Apollini Aesculapio et Saluti vota facta dataque esse. (Liv. 40. 37). Ex quo tempore cum Graecorum Hygiea Aesculapi filia eadem esse crederetur quae Salus, haec cum Aesculapio a Romanis coniungebatur. Neque vero hoc iam apud Plautum videmus; nam Salus semper ab hoc sola nominatur ut in Bacch. v. 879: „Salus me servasti;“ cf. Cas. v. 4. 3. 4: „Quid agis mea Salus?“ vel. Merc. v. 593: „Si opprimit pater, quod dixit, exsulatum abiit Salus;“ cf. v. 867; Most. vero versus 351 sententia: „Nec Salus nobis saluti iam esse, si cupiat, potest,“ quasi in proverbio fuisse videtur, quo poetae utuntur, si quem omnibus rebus desperare exprimere volunt. Huc pertinet Capt. v. 529: „Neque iam Salus servare si volt me potest,“ et Adelph. v. 761: „ipsa si cupiat Salus, Servare prorsus non potest hanc familiam.“ Quos omnes versus ex Graecis pendere non necesse est. Praeterea de Salute cf. Ps. v. 709, Capt. v. 864, Asin. v. 713 sq. 727 (de quibus locis iam diximus), Cist. v. 4. 2. 77 et Poen. prol. v. 126 quorum singulorum versuum verba hic repetere supervacaneum est. Salus autem dea cum Victoria coniuncta est in Merc. v. 867: Eutych.: „Sta Charine!“ Ch.: „Quis me revocat?“ Eut.: „Spes Salus Victoria.“

Spes de qua nunc agatur in Merc. v. 842 et 843, qui in codicibus etiam post versum 598 inserti iam ab Acidalio ibi cum sermonem interrumpant deleti sunt, ea dea est qua

si confidas non dubites quin omnes res tuae bene cessurae sint. Sed haud male poeta priore versuum: „Divom atque hominum quae spectatrix atque era eadem es hominibus, Spem insperatam quom obtulisti[1]) nunc mihi, tibi grates ago" vim Spei deae circuitu plurium verborum ostendit ne diceret: „Spes, spem insperatam obtulisti." Eadem autem quae in Merc. v. 842, Spes dea est in Pseud. quoque v. 709 quo loco Calidorus: „Dic utrum Spemne an Salutem te salutem, Pseudole?" cf. Bacch. v. 893. Quare naturae huius deae cognomen Sanctae optime convenit, quod legimus in Cist. v. 4. 1. 18: „Spes mihi sancta subvenit." Et tamen certo scire nunquam possum, num si Spe confido semper bona usurus sim fortuna; quare iam apud Plautum — non Cicero primus hoc fecit ut Prellerus p. 618 videtur putasse — Bonam Spem reperimus in Rud. v. 230: „Bona Spes, obsecro, subventa mihi." Atque iam supra vidimus Plautum personis fabularum suarum haud raro deorum nomina attribuere itaque eas quasi consecrare, cuius rei exemplis iam allatis pauca addamus. In Cistell. v. 4. 1. 18 dicit Phanostrata: „In tempore ipso Spes mihi sancta subvenit." Spes autem sancta est ipsa Halisca quam Phanostrata iam conspicit. Similisque est Rud. v. 489 (Libertas) 501 (Mala Fortuna), Poen. 1. 2. 66 (Venus). Huc pertinet studium quoque Romanorum nominibus abstractis quae dicuntur vim divinam ut ita dicam tribuendi cuius rei exempla etiamsi multa ioci causa conficta sunt tamen hoc omnino Romanis proprium[2]) fuisse videtur: talis est Lubentia[3]) in Asin. v. 268, Commoditas in Mil.

---

[1]) „Di immortales spem insperatam date mihi quam suspicor:" Men. v. 1081.

[2]) Idem vel simile quid apud maiores nostros invenitur de quibus Grimm p. 841: „Ein sehr weites Feld öffnet sich den Personifikationen abstrakter Gegenstände; entschieden aber sehen wir auf ihm die weiblichen den männlichen vorherrschen. — p. 849: Untugenden treten viel sparsamer und schwächer personifizirt auf; idem videmus apud Romanos.

[3]) Hoc nomen Veneris cognomen fuisse docet Servius ad Aen. l. I. 720.

v. 1134; (Men. v. 140 „Commoditatis omnis articulos scio) Brixius bene comparat Graecorum deum *Καιρόν;* talis etiam Opportunitas in Ps. v. 669, Munditia in Cas. v. 2. 3. 9, Copia in Ps. v. 736, Iniuria in Rud. v. 626, Saturitas in Capt. v. 877, Servitus in Asin. v. 306, tales denique Inopia (cf. *Πενίαν* in Arist. Pluto et in Platonis Convivio) et Luxuria in Trinummi prologo. Quae exempla restant vide apud Lorenzium in prooemio ad Pseudolum p. 22 adn. 20.

Fides dea magnis semper et multis honoribus afficiebatur et quidem Romae magis quam in Graecia haec dea culta esse videtur, etiamsi Athenis quoque *Πίστει* templum exstructum fuisse Diogen. prov. 2. 80 testatur. Romae autem iam Numa prius Fidei quam Iovi templum aedificaverat, quod haec si dea deesset nec civitatem tutaretur imperium stare non posse ei persuasum erat; cf. Gell. 20. 1. 39. Bene igitur Plautus in Casinae initio dicit: „Salvere iubeo spectatores optumos, Fidem qui facitis maxumi et item vos Fides;“ vide Parergon p. 201. Si autem in Aulul. v. 584 Euclio cum aulam auri in Fidei templum abstulisset: „Fides, inquit, novisti me et ego te, cave sis tibi, Ne in me mutassis nomen, si hoc concreduo; Ibo ad te fretus tua Fides fiducia,“ non est cur haec Euclionis verba miremur, cum se nulli homini ac ne Fidei quidem putaret fidem habere posse. Quod cum diceret Strobilus servos sermonem eius captaverat; sed a sene deprehensus postquam omnia quae ille dixisset et fecisset scire se professus est, senex aurum in Silvani luco qui extra urbem erat defodere constituit unde verba intellegemus versus 676: „Certumst Silvano potius credam quam Fidei.“ Huc pertinet Dius Fidius quoque-apparet Fidium a fide derivatum esse — de quo eo mihi licet breviori esse quod locus quo commemoratur Asin. 23: „per Dium Fidium quaeris: iurato mihi Video necesse esse eloqui quidquid roges,“ fortasse spurius est. Nam cum aut versus 23 et 24 aut 25 et 26 deleri debeant, tamen utra recensio genuina sit merito dubitaveris.[1]) Imprimis Dius

[1]) Cf. Goetz et Loewe in praefatione Asin. p. XXII.

Fidius in iureiurando invocabatur. — Perfidiam deam in Asin. v. 545 Romanos non veneratos esse, sed Libanum servom de hac per iocum loqui apparet.

Postremo pauca adnotemus ad Cist. v. 1. 3. 1. sq., de quibus Ritschelius in parerg. p. 237 haec disserit: „Utrum ad fabulam plane intellegendam verba Auxilii retinenda an delenda sint ea de causa discernere non licet quod fabulae quin sescenti fere versus perierint dubitari nequit.“ Nos quidem illud tantum disputemus quid sibi velit Auxilium deus? nam neutrius generis vocabulum personam capere et divini honoris particeps fieri vel deum nominari nobis permirum videtur (cf. Grimm l. i. p. 838. 851) nec apud Romanos ut exemplum afferam fatum sed fatus fata fati fatae in inscriptionibus reperiuntur — vide Preller p. 565; mus. rhen. vol. 27. 132 sq. — similiterque non Caelum sed Caelus colebatur ut est in C. I. L. VI 81 (83. 84): „Optumus Maxumus Caelus aeternus Iupiter.“ Tertullianus autem adv. nat. II. 12 dicit: „legimus Caelum masculini generis.“ Sed tamen Fata in plurali numero negari non potest in personas constituta esse id quod non solum „Fata Scribunda“ comprobant, nomen illud vetus pro deabus Carmentibus usurpatum, sed etiam Stat. Theb. 8. 26: „Fata ferunt animas et eodem pollice damnant.“ Quare Plautus a consuetudine volgari non plane recessit, si substantivo generis neutrius dei partes assignavit.

Secuntur quaestiones nonnullae de Hercule qui etsi revera inter deos Italicos habendus est,[2]) tamen cum apud Plautum Terentiumque magis ut heros appareat neminem aegre laturum esse spero quod hoc loco post ceteros deos tractatur. Atque primum quidem propter Persae versus 1—4: „Qui amans egens ingressus est princeps Amoris in vias, Superavit aerumnis suis aerumnas omnes Herculi. Nam cum leone cum excetra cum cervo cum apro Aetolico Cum

[2]) Cf. Mommsen unterital. Dial. p. 262, Grassmann l. i. p. 103—106; deus niminatur Hercules a Plauto in Stichi versu 392 et Bacch. v. 894.

avibus Stymphalicis cum Antaeo deluctari mavelim[1]) Quam cum Amore . . ." dicendum mihi est de Herculis laboribus quos si sex tantum commemorat Plautus, quaeritur num hos sex omnes Herculis labores fuisse putaverit.[2]) Quod ex hoc solo loco diiudicari nequit, cum etiamsi in versu 2 dicit: „superavit aerumnas omnes Herculi" tamen sequentibus versibus eas eligere potuerit, quae sibi maxime insignes viderentur. Verisimilius vero illud fit legentibus nobis versum Epidici 179, quo Periphanes de uxore sua querens: „Hercules ego fui, dum illa mecum fuit: Neque sexta aerumna acerbior Herculi quam mi illa obiectast." Nam quod Kiessling in mus. rhen. vol. 23 p. 418 sextam aerumnam non referendam esse putavit ad Hippolytae cingulum (cf. Men. v. 200), sed ad Cerberum e tartaro arcessitum vel ad hydram, quacum poeta aliis quoque locis coniuges intolerandas compararet, (ut Ps. v. 218, Cas. v. 3. 5. 18) hanc interpretationem non necessariam dico; sed sexto labore gravissimus omnium significatur, quod nihil maius malum sit quam uxor rixosa et importuna. Ad sex illos labores fabula de Hippolytae cingulo accedit, quam Plautus ut videtur nesciit a Graecis in numerum duodecim aerumnarum ascriptam esse; de Hippolyta quae ab aliis Astydamia quoque appellabatur cf. Schol. Arist. Nub. v. 1063. Neque vero deest Hercules clavis instructus in Rud. v. 821 sq. „Eu, hercle ne istic fana mutantur cito: Hoc Herculist iam Veneris fanum quod fuit: Ita duo destituit signa hic cum clavis senex." Qua de re confer Prelleri myth. Rom. p. 650 cum adn. 1. In Mostell. vero versu 528, (Tranio): „Herculem invoca." (Theopropides): „Hercules, te ego invoco," Hercules est Salutaris vel Defensor, Graecus Ἀλεξίκακος, de quo vide Preller. p. 655.

Sed alia fabella ad Herculem ipsum spectans in Bacch. v. 155 nobis occurrit: Pist: „Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus." Lud.: „Pol metuo magis ne Phoenix tuis

---

[1]) Ex emendatione Th. Bergkii: Beitr. zur lat. Gr. p. 41.

[2]) Apud Graecos numerus valde fluctuabat.

factis fuam Teque ad patrem esse mortuom renuntiem." Primum quidem Linus artis musicae magister cum Herculi discipulo alapam dedisset, ab hoc irato lyra humi prostratus est. Quam rem postea in iocum versam esse dicit Welcker, kl. Schr. I. p. 46. Phoenicem autem Amyntoris filium exsulem fama ferebat ad Peleum ivisse ab eoque Achilli filio Troiam proficiscenti datum esse, quo ille in rebus dubiis amico et consiliario uteretur. Sed Achille mortuo ad Peleum rediisse eum eique filii mortem nuntiasse id quod ex versibus allatis concludere debemus nullus veterum scriptor tradit. Ex quo scriptore Plautus hoc sumpserit nescimus; tractata autem erat haec fabula ab Euripide (cf. Welcker de Graec. trag. p. 803—809 quem hic locus fugerat), Stratone, Eubulo, quorum e fragmentis in locum illum nihil proficimus. — De Herculis cultu compara Macr. Sat III. 7; operto capite ut mos Graecorum erat, ei sacrificatum esse iam supra vidimus. Hercules autem Caco interempto cum ab Euandro summa laetitia exceptus et ut deus salutatus esset, Romanos decima praedae suae donavit. Unde si quis magnum lucrum fecerat vel imperator praeda onustus domum reverterat, in ara maxima Herculi decimam partem lucri vel praedae donare civesque ad cenam quam vocabant popularem (Trin. v. 470) invitare solebant. Ex Plauto huc pertinent hi versus: Bacch. 665 sq.: „Si frugist, Herculem fecit ex patre: Decumam partem ei dedit, sibi novem abstulit." Ceteros locos vide apud Lorenzium ad. Most. v. 984. Quodsi Scaliger Pauli interpretationem p. 71: „decima quaeque veteres diis suis offerebant" vituperans adnotat: „uni tantum Herculi hoc fiebat," inconsulto hoc dicit: nam Livius in l. V. 21. Apollini quoque decimam votam esse docet. Neque vero solum Graecorum βουφάγον[1]) — in Stichi versu 223 Herculeum prandium luculenta cena est, — sed etiam bibacem

[1]) Insatiabilis edendi et vorandi cupiditas Herculis imprimis ab Epicharmo optime descripta erat; cf. Mueller Gesch. der gr. Litt. II. 246, Richter ad. Arist. Vesp. v. 60, Ran. vss. 504—511, 550—576.

Romanis illa aetate non ignotum fuisse efficitur lepidissima illa Curc. scaena (v. 358 sq.) ubi Curculio: „Talos arripio, invoco almam meam nutriculam Herculem, Iacto basilicum, propino magnum poclum: ille ebibit . . .“ qua de re cf. Macr. Sat. libr. 5. 21 extr.: „Herculem vero fictores veteres non sine causa cum poculo fecerunt et non nunquam cassabundum et ebrium: non solum quod is heros bibax fuisse perhibetur, . . sed etiam quod antiqua historia est, Herculem poculo tamquam navigio ventis immensa maria transisse.“ Quae res Romae antea ut videtur ignota cum tragicorum tum comicorum fabulis innotuit: cf. Alcest. Eur. v. 788 (Mueller, Gesch. der gr. Litt. II. p. 146); Schol. Arist. Ran. 63. 107, Av. 567 et maxime Pacis v. 741 Vesp. v. 60. — De Herculis prognatis loquitur Plautus in Cas. v. 2. 6. 45 sq., quos Koch in mus. rhen. v. 25. p. 619 ita procedere volt: „Ain tu? Quia tute es fugitivos, omnes te imitari cupis. Utinam tua quidem ista sicut genere Herculei praedicant Quondam prognatis in sortiendo sors delicuerit . .“ Sine dubio hi versus de Graeco poeta sumpti sunt; cf. Prelleri myth. Gr. II. p. 282. Nam Temenos, filii Aristodemi, Chresphontes, qui „Herculis prognati“ Peloponneso potiti erant, de terra inter se dividenda sortiti esse feruntur.

Terenti unus Eunuchi v. 1027 huc spectat: „Qui minus quam Hercules servivit Omphalae?“ quo sententiam illam Graecam: „Ὀμφάλῃ Ἡρακλῆς λατρεύει“, quae in proverbii fere consuetudinem venisse videtur, ad verbum latine vertit; cf. paroemiogr. Gr. ed. Gaisford Oxon. 1836 p. 32 Nr. 304; p. 64 Nr. 537; p. 321 Nr. 50.

Hoc uno Herculis exemplo demonstrare volebam haud esse inutile exponere quid Plautus et Terentius de heroibus statuerint; horum omnium fabulas hoc modo pertractare omisi quod hoc huius libri spatium excedebat.

Vita auctoris.

Hermannus Augustus Keseberg natus sum Coloniae ad Rhenum ante diem VI. Kal. Dec. anni huius saeculi LX. Patrem Stephanum, Mariam matrem e gente Kaufmann ortam valde gaudeo adhuc in vivis esse. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus gymnasii Coloniensis quod vocant Marcellani cum per octo annos et dimidium fuissem discipulus vere anni MDCCCLXXIX Bonnam me contuli studiis philologicis operam navaturus. Qua in universitate per novem semenstria docuerunt me viri clarissumi Aufrecht Birlinger Buecheler Leo Luebbert Maurenbrecher Meyer Neuhaeuser Schaefer Usener Wilmanns. In seminario philologico cuius per quinque semenstria fui sodalis Buecheleri Leonis Luebberti Useneri disciplina frui mihi licuit. Seminario historico per sex menses Schaefer me admisit. Examen rigorosum superavi anni MDCCCLXXXIII mensis Decembris die vicensimo. Praeceptoribus vero omnibus illis debitam habeo gratiam semperque me habiturum esse polliceor.